DE LUDI MAGISTRO

RERUM PUBLICARUM NOVIS TEMPORIBUS

MDCCLXXXIX-MDCCC

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM VESONTINÆ

DISSERUIT

E. TOUTEY

SCHOLARUM INSPECTOR

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCCI

Dissertatie
Besançon

DE LUDI MAGISTRO

RERUM PUBLICARUM NOVIS TEMPORIBUS

MDCCLXXXIX-MDCCC

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

DE LUDI MAGISTRO

RERUM PUBLICARUM NOVIS TEMPORIBUS

MDCCLXXXIX–MDCCC

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM VESONTINÆ

DISSERUIT

E. TOUTEY

SCHOLARUM INSPECTOR

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCCI

PHILIPPO BERGER

IN GALLICO COLLEGIO PROFESSORI

UNI EX INSTITUTO

Gratissimum munus.

D. D. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41546501_0050

DE

LUDI MAGISTRO

RERUM PUBLICARUM NOVIS TEMPORIBUS

LIBER PRIMUS

QUAE IN PUERIS EDOCENDIS REFORMANDA
AUT INSTITUENDA SINT VISA
RERUM PUBLICARUM NOVIS TEMPORIBUS

CAPUT I

ANTE ANNUM MDCCLXXXIX QUAE FUERIT
LUDI MAGISTRI CONDICIO

§ 1. — De ecclesiastica magistri origine.

Litterarii ludi [1] ab illis parvis scholis ducunt originem, quae jampridem erant institutae, ut informarentur quibus opus erat presbyteri vel vicarii episcopalium vel minorum ecclesiarum. Sic enim inopes sed amoena voce praediti pueri gratis edocebantur;

1. Écoles primaires.

quorum qui egregia indole praediti videbantur, nonnunquam postea inter clericos locum accipere poterant; ceteris assignabantur inferiora munera administrorum vel apparitorum, etc.

Facillime autem, iis praesertim temporibus quibus plerique omnibus rebus egerent, reperiebantur petitores. Quare libenter clerici, nulla fere impensa, scholas aperuerunt pluribus in dies discipulis, quorum numerus multo major brevi factus est quam promptorum munerum, quod effecit ut inter tam multos optimum quemque eligere possent. Quae tanti erant momenti, ut ne ipsis quidem Conciliis contemnenda viderentur; etenim in Lateranensi concilio (1179) decretum est, ut et in episcopalibus ecclesiis magister praeficeretur clericis et pauperibus discipulis edocendis, et in ceteris ecclesiis ac monasteriis *scholastro* [1] idem munus fungendum daretur [2]. Nimirum illae scholae, quarum clerici praestabant impensam omnino de clericali potestate pendebant. Sed, quia nonnulli, ab illis eruditi, postea rursus vitae genus eligebant plane laicum, sic a clericis immissi sunt in saeculum multi, plusve minusve docti, qui doctrinam minime ad res religionis adhibebant; itaque clerici per saecula magno fuerunt adjumento ad lucem scien-

1. Écolâtre.
2. Postea vero ille magis res scholarum in universum rexit quam pueros ipse docuit.

tiae in urbium multitudinem effundendam; unde tempore factum est ut omnes persuasum haberent, quae educationis puerilis, non minus quam quae religionis essent, illorum proprium.

Immo vero, hanc exceptionem haud incuriose sibi vindicabant, quippe qui saeculari potestate interdum uterentur, ne qui apud se edocti essent licentius scholas aperirent, clericorumque custodias fallerent (quae dicebantur « buissonnières ») ut constat ex Parisini Parlamenti sententia, septimo die februarii mensis, anno MDXXXXIV pronuntiata.

§ 2. — De ludi magistro clericos et regiam potestatem adversus « protestantes » adjuvante.

Nempe illis temporibus magna nuper evenerant, cum Protestantium doctrina omnes ad scientiam incitaret, magistris ornaret, et docendi rationes emendaret. Quare Clericis plane apparuit quantum in periculum adducerentur, si sivissent ab aliis edoceri pueros : ceterum intellexerunt sibi quam citissime puerorum mentes esse formandas, quo tutius ab errore atque haeresi defenderentur; quamobrem suarum scholarum adeo numerum auxerunt, ut brevi in fere omnibus pagis scholam instituerent. Sic, ut antea illas instituerant ut ministros haberent, ita

nunc plures ac plures aperiebant, ut servaretur vel augeretur fidelium numerus. Itaque, cum Protestantes, ut animos fidelium hominum liberarent atque ad sese vocarent, tum catholici, ut eosdem apud sese retinerent, nitebantur utrique ut scholarum numerum adaugerent.

Gallorum vero reges, qui primo statim tempore a Protestantibus steterant, Clericis publicum auxilium praebuerunt, et iis approbaverunt scholas praecipue adversus haeresim institutas. Tunc enim cum haberetur Tridentinum Concilium, siverunt ab Episcopis, Narbone anno MDLI congregatis, denuo commoneri nullos nisi episcopos, presbyteros et alios clericos omnia pernoscere, quae in scholis docerentur. Ita omnino reges cum Clericis convenerunt, ut quasi in manu haberent ludi magistros, ut qui et principio omnino clerici fuissent, et adhuc ipsos maxime juvare possent.

Tunc autem, cum plures rem acquisivissent, pluraque essent ad vivendum necessaria; cum vero saepius ac saepius acta scriberentur, quia plures ac plures erant facti qui fundum haberent, jam multi in populo intellexerant quam utilis esset doctrina, eo ipso tempore quo Clerici efficiebant ut largius illa in vulgus effunderetur, simul ac magister in societate majore pollebat auctoritate, quam quae unquam illi

antea tributa erat. « Quasi vis quaedam haud spernenda factus erat, et organum quoddam, et maximum publicae potestatis auxilium adversus haeresim [1]. »

§ 3. — Ludovicus XIV auget magistrorum numerum, atque efficit ut illis communi sumptu merces solvatur.

Ludovicus XIV sivit in Clericorum manibus remanere omnia quae ad educationem vulgi pertinebant, quia et ex voluntate Regis erant Clerici, neque ipse societatem hominum ullam nisi catholicam, bene posse constitui arbitrabatur. Namque « Rex et Ecclesia » sunt Reipublicae regendae quasi ratio quaedam. Etenim Rex Ecclesiae commodat auctoritatem, auctoritatisque inde sibi parat incrementum. Ecclesia autem, auxilio illo laeta, quo omnibus sese injungere potest, docet regalem potestatem a Deo ipso duxisse originem, et ideo omnibus esse subeundam.

Igitur magister est minister, cui formandi sunt homines, cum Regi obedientes, tum fidi Catholicae Ecclesiae alumni; qui ad illa conniti debet atque animum intendere, quibus jure jurando sese adstringere jubetur, cum creatur magister.

1. « Il était devenu une puissance avec laquelle il fallait compter, un levier, l'auxiliaire naturel du gouvernement dans sa lutte contre l'hérésie. » Cf. A. Duruy, *l'Instruction publique et la Révolution*, p. 16.

Non solum Ludovicus XIV episcopos incitat ut scholas instituant, quo et maturius perficiantur quae abrogatione Namnetici edicti erant incepta, et « stabilius firmentur in bona sententia qui nuper sunt conversi[1] », et « diligentius doceantur pueri secundum artes religionis[2] », — sed etiam illis mandat ut sponte sua ipsi agant, et « quaecumque facienda ipsis videbuntur faciant de puerorum disciplina atque institutione[3] ». Adeo enim studiosus erat delendae haeresis, ut magistris ipsas vires praeberet imperii summi et ad sese omnia referentis, atque vellet « magistros et magistras in *omnibus* parochiis creari, quae illis egerent, ut *omnes* pueri edocerentur, praesertim illos quorum parentes religionem, quae falso dicta sit reformata, essent professi[4] ». Re autem vera minus curabat educationem quam quasi vere catholici ac vere subditi exemplar. « Ante omnia magister doceto catechismum et necessarias preces, discipulos ad missam ducito profestis diebus omnibus, curato ut illi adsint officio divino diebus festis aut

1. « Confirmer les nouveaux convertis dans les bons sentiments qui leur ont été inspirés. »

2. « Instruire les enfants dans les principes de la religion. »

3. « Faire tout ce qu'ils estimeront à propos pour l'instruction et l'éducation des enfants. » Epistula Ludovici XIV ad Episcopum Uliaricum (Oleron) sexto die Augusti mensis, MDCLXVIII.

4. « Des maîtres et des maîtresses dans *toutes* les paroisses où il n'y en avait point, pour instruire *tous* les enfants, et nommément ceux dont les pères et mères ont fait profession de la religion prétendue réformée. »

dominicis, et iis quae sint opus de illis rebus indicato [1] »; eodem modo « litteris eos instituto, qui illis egere videbuntur [2] ».

Quod opus illi adeo praecipuum esse videtur ut sine ulla dubitatione clericos omni impensa liberet de scholis sustinendis, et ad illud hinc jam publicum officium justam creet dotationem; etenim « ubicunque defuerint facultates (quid incertius?) illi (i. e. magistri) mercedem accipient, quam praestabit tributum omnibus impositum ad numerum CL librarum, quod ad magistrum attinet, et C librarum, quod ad magistram [3] ». Quam disciplinam, qua in omnes effundenda sunt quae bonum civem et vere catholicum efficiant, necessariam esse decernit; namque jubet « ab omnibus parentibus et tutoribus, ceterisque

1. « Le maître enseignera en premier lieu le catéchisme et les prières qui sont nécessaires, conduira les élèves à la messe tous les jours ouvriers, aura soin qu'ils assistent au service divin les dimanches et fêtes, et leur donnera sur ce sujet l'instruction dont ils auront besoin. »

2. « A lire et à écrire à ceux qui pourront en avoir besoin. »

3. « Là où il n'y a pas de ressources, on les paiera avec un impôt sur tous les habitants, jusqu'à concurrence de 150 livres pour les maîtres et 100 livres pour les maîtresses. » Adde quod prius Clerici se exonerare coeperant ex sumptu jam nimis molesto, quia in dies gravior facta erat illa administratio; ita ut merito patresfamilias ita assuefecissent, ut ipsi solverent magistrorum mercedem. Igitur septimo et octavo decimo saeculo, Scholarum impensis providetur : 1° per dotes, dona et legata, scholis ac magistris sustentandis proprie attributa; 2° per juncta beneficia, et opes certa ratione de *fabricis* detractas; 3° per discipulorum pensionem (rétribution scolaire); 4° denique per tributum anno MDCIIC impositum. Qua pensione plerumque liberabantur inopes. Praeterea Fratres Christianarum Scholarum propriis rebus se sustentabant, et gratuito plerosque edocuerunt.

quibus incumbunt erudiendi pueri, in illas scholas ac catecheses duci pueros usque ad quartum decimum aetatis annum [1] ». Quae denique praecipue providit Ludovicus XIV edictis MDCVC et MDCIIIC anni, quae Clericis solis jus magistrorum eligendorum, atque « educationis scholasticae in parochiis praesertim curandae sanxerunt [2] ».

At Ludovicus XIV memorando illo edicto jam commutationem scholarum parabat, et contentionem inter eos qui illas administrabant. Nam, cum illas imponeret impensis *communibus* [3] et juberet municipiis quotannis sustineri, consentiebat ut illa quasi censura quadam uterentur ita ut ad scholas e Clericorum manibus eripiendas tum primum progrederetur; ac simul, cum scholas illas haud minoris esse momenti vellet quam publicum officium, ita efficiebat ut mox regalis ipsa potestas educationem disponendam eligendosque magistros curaret.

Verumtamen edictum anni MDCIIIC neque revera usurpatum est, neque quos fructus speraverat Ludovicus XIV dedit. Nam neque satis opum in promptu erat Communibus, et rarius reperiebantur qui ma-

1. « Tous les pères, mères et autres personnes qui sont chargées de l'éducation des enfants, de les envoyer auxdites écoles et aux catéchismes jusqu'à l'âge de quatorze ans. »

2. « Veiller avec une attention particulière sur l'instruction desdits enfants dans leurs paroisses. » Ordonnance de 1698.

3. Des Communes.

gistri fierent, ut repente tantam efficerent commutationem. Nihilominus multo major factus est scholarum numerus; edictum vero anni MDCIIIC magna ex parte anno MDCCXXIV renovatum est, et paulatim omnes vici scholis masculorum puerorum ornati sunt; in urbibus autem omnia providebant Fratres Christianarum scholarum, quorum potens Societas, neque publicae administrationi, neque Clericorum auctoritati obnoxia, magistris commendabatur permultis, eisdemque ad officium paratissimis. Praeterea erant « liberi » magistri, haud vetantibus presbyteris aut *subdelegatis* [1], ubicunque non egebant facultates; qui sese in collegia congregaverunt, quibus temporibus vir solus semper sese infirmum esse sentiret, et fere iisdem legibus fuerunt subditi, quibus regebantur fabrorum collegia. Ad puellas autem quod attinet fere nihil, nisi magistrarum clericae congregationes.

Denique, intentissime investigando confirmatum est, et urbes plerasque scholis abundavisse (quibus praeerant aut Fratres Congregationum, aut liberi magistri), et extremo seculo octavo decimo quartae tantum parti vicorum magistros defuisse. Praeterea plerumque gratuito edocebantur inopes; nam dotibus et donis et legatis sustinebantur illi sumptus, et insu-

1. Subdélégués des intendants.

per beneficiorum ecclesiasticorum ad illa constanter indicta erat pars quaedam. Immo vero conjectura scholarum impensae in tota Gallia centies vicies centenarum millium librarum aestimatae sunt [1].

§ 4. — Ludi magister, ut a communi electus, et a clericis in sede collocatus, partim communalis fit minister.

Diversa Edictum anni MDCIIIC sunt consecuta; Communia enim cum magistris suis mercedem penderent sibi comparaverunt jus magistri commendandi, id est, aliquoties « creandi ». Praeterea, anno ineunte patres familias et in vico primi conveniebant, et mercedis magistro tribuendae modum constituebant simul atque illum eligebant; modo, in Communi natum, et olim litteras edoctus, modo, advenam, ad hoc in mercatu propinquo conductum. Qui, in annum lege illa obligatus, in vico domicilium collocabat ac praeter parvam mercedem aliud lucrum quaerebat; aut artificium (sutrinum, carpentarium opus), aut in Ecclesia parvum officium ut aedium sacrarum curam, aut denique munus quoddam, a Communi ipso

1. Ex actis publicis in tabulariis « Communium » servatis quae evolvere potui, plerumque magistri a centenis ad trecenas, magistrae autem laicae a quinquagenis ad centenas libras quotannis accipiebant, in locupletibus quidem Communibus, sed multo minus in viculis.

assignatum : sic agros metiebatur, pro incolis epistulas scribebat, aut in Concilio « scriptum faciebat ». Quod munus haud minimi habebatur, cum in illo quasi externo homine scribae sollertia multo magis quam magistri auctoritas aut psalmistae vox canora respiceretur. Ceterum intelligebant illum commendante presbytero esse electum ; aut certe huic electionem fuisse sanciendam. In magnis tamen Communibus magister a solo Episcopo ad summum sanciebatur [1]. Eodem modo, dum docet presbyteri aut episcopalis delegati arbitrio subjectus erat magister; quibus nisi probatus esset, tunc dimittebatur atque in locum ejus, vel anno nundum exacto, alius succedebat. Igitur magister et a quo presbytero designabatur, sanciebatur, aut dimittebatur, et Communi, quod mercedem ejus pendebat, strictissime erat obnoxius.

§ 5. — Creandis magistris sese immiscet regia potestas.

Interea autem regia potestas magistris curam intendere coeperat, paulatimque sibi jus censurae vindicabat. Ceterum non jam semper, ut antea, regnante Ludovico XIV, omnia eodem modo ac Clerici sen-

1. Quod erat in more positum. Vd. Regis jussa, edicta, Parlamenti sententias, Conciliorum decreta, annis 1544, 1606, 1668, 1681, 1695, 1698, 1724, etc.

tiebat, quia post octoginta annos qui cum imperio erant, ut increduli et philosophiae dediti, Clericis diffidebant, et laicum quid in omnia, quae a republica quoquomodo pendebant, introducere conabantur. Etenim, quod administratio de gymnasiis effecerat, id *regis procuratores* [1] de scholis pedetentim efficere nitebantur.

Namque, expulsis Jesuitis, a summis reipublicae gubernatoribus, quos incitaverant Parlamenta, ita constituta erat de gymnasiis quaestio, ut laici praepositi liberaliter iis administrandis dati essent, « qui neque ex Universitatibus pendebant, neque auctoritati Congregationum obligabantur [2] », ferme omnino laico concilio, constanti e duobus magistratibus, duobus Communis ministris, duobus inter primos in urbe delectis, et gymnasii rectori, disponenda erant quae ad domesticas praescriptiones et disciplinam et fortunarum gestionem, denique ad nominandos vel solvendos magistros attinebant; de gymnasiis clericis nihil relinquebatur, nisi quod, ut antea, Concilio praeerat Episcopus, fortasse quia Episcopis facilius, quam qui Congregationibus adscribebantur, summa potestate obligabantur.

1. Intendants.

2. « Qui ne dépendaient pas des Universités ou qui n'étaient pas sous la direction des congrégations religieuses. » Allain, *la Question de l'enseignement en 1789*, p. 49.

Sic autem Scholae quasi expugnari non poterant : immo vero ad illas occupandas tanquam correpebant regis procuratores, antiquo more in universos legis instar protento, ex quo nullus magister elegi poterat nisi antea de eo convenissent presbyter ac vici dominus ; presbyter autem, cum plerumque domino obnoxius esset, apud quem saepius caenaret, et nisi succurrente domina pauperibus opitulari posset, ultro gratum illis hominem nunquam respuebat ; procuratores vero, assumptis omnibus quae feodalium fuerant dominorum, in multis locis vetuerunt quemquam, nisi antea esset a se ipsis approbatus, creari magistrum : neque obsistere ausi sunt presbyteri. Quod magistri nunquam conquesti sunt, eo magis quod, ut scripsit Duruy, « quamvis legitimam, eamdemque quasi patris lenem, dominationem tamen illam Clericorum magistri inviti abhinc passi sunt quia tunc omnes libertatis erant avidi [1] ». Igitur quasi impetu quodam cunctorum animi commovebantur, ut sibi publica administratio partim primum, denique omnino illa assumeret. « Quem impetum reges jam tunc in eo erant ut ipsi adjuvarent, cum tempestatibus sunt rapti, nedum ad illum a philosophis quibusdam

1. « Pour légale qu'elle fût et si paternellement qu'elle s'exerçât, on conçoit fort bien que cette suzeraineté du clergé sur le personnel enseignant ne fût plus acceptée qu'avec répugnance à une époque d'émancipation universelle. » (Duruy, *l'Instruction publique*, p. 22.)

tantum, ut a Turgotio, incitarentur. Jam medio XVIII° seculo, multis erat in animo ut laicis traderentur scholae, inconstanter quidem ac verecunde, sed jam illud quasi machinabantur, jamque nonnulli procuratores... pedetentim sibi jus permissionis assumere conabantur, et tanquam sine certamine laici victoriam illam ex episcopis rettulerant, quia tunc venerat tempus. Quod in nonnullis provinciis evenit, longiore vero aetatis tractu idem ubique evenisset[1]. »

§ 6. — Philosophis ac sapientibus publicae disciplinae Concilium instituendum videtur.

Praeterea, non solum qui in rebus publicis versabantur, sed etiam si quis philosophiae aut litterarum erat studiosus, illa simul et quae ad populum aut ad rempublicam spectabant, valde respiciebat. Quibus enim temporibus quae nova in scientiis erant inventa ac litterarum doctrina tantam omnibus injecerant

1. « Ce mouvement, la royauté semblait prête à s'en emparer quand elle fut emportée par les événements, et ce n'étaient pas seulement des rêveurs isolés comme Turgot qui l'y poussaient. Dès le milieu du XVIII° siècle l'idée de sécularisation se manifestait sans beaucoup de suite assurément, et d'une façon bien timide encore, mais enfin le branle était donné : déjà quelques intendants... cherchaient à s'attribuer tout doucement le droit d'autorisation, sans que cette victoire de l'esprit laïque sur l'épiscopat rencontrât de résistance, tant il est vrai que l'heure était venue. Le fait a été observé dans quelques provinces : avec le temps il se serait certainement généralisé. » (Duruy, *loco cit.*)

sapientiae mirationem, fieri non poterat ut « Encyclopedistae » quae pertinebant ad erudiendos pueros maximo studio non persequerentur. Etenim ab iis magister non jam ut Ecclesiae adjutor aut exstinctor haeresis, sed ut cui doctrina sit effundenda litteraeque edocendae, habetur. Itaque de illo quaeritur ut apte certo fungatur officio, atque ut quae sint opus discat, et in laicos doctrinam effundat.

Quibus de causis Clerici ad id primum scholas instituerant, ut primum sibi prodessent; atque adjuvante Regia potestate illarum numerum auxerant ad delendam haeresim : ita procuratores, *Parlamentarii* [1] et *Philosophi* [2] scholis ad populum pro suis ipsorum consiliis reformandum uti conati sunt; at scholae, quae dominationis quasi instrumenta fuerant in Clericorum manibus, eaedem instrumentum quoddam diffundendae doctrinae factae sunt; quae Ludovici XIV imperium munierant, quodam modo aliquid conferre coeperunt ad homines liberos ac peritos, denique ad philosophos formandos per totum populum. Itaque anni MDCLXXXVIII edictum ad diversa ab illis vertit, quae Rex ille Catholicus speraverat.

Tunc vero duo contrarii cursus quasi vehunt illos

1. Parlementaires, membres des parlements.
2. Philosophes.

qui de scholis tentant res novas. Nam omnes quidem magistrum ex arcta Clericorum dominatione eripere, gravioremque et ampliorem facere eam condicionem conantur, ut plura pernoscat intentiusque ad officia perficienda sit paratus; sed alii nihil, nisi in Clericorum locum procuratores supponere, id est ad sese, quo majores statim percipiat illis fructus administratio, gratiam atque officia magistri trahere volunt; alii autem diffundendam doctrinam arbitrantur, non ut dominationis instrumentum, sed quia ipsa bona sit et frugifera; censent igitur ludi magistrum a Clericorum Regisque imperio esse liberandum, ut magistri nihil curent nisi pueros erudiendos; itaque creandum esse arbitrantur hoc novum summumque Concilium disciplinae quod accuratissime verbis explicavit Turgotius, anno MDCCLXXV. « Ante omnia praecipue necessarium, et meo quidem judicio maxime idoneum ad principatum Vestrae Majestatis inmortalem faciendum, et maximi momenti futurum in regnum universum existimo, si Concilium instituatur publicae disciplinae, quod et Academiis et Universitatibus et Gymnasiis et Scholis praesit. In quo Concilio multos numerari viros non opus est, cum in illo quasi unum eumdemque animum exsistere optandum sit. Ad ea autem spectans, libros scholasticos connexa ratione componi jubebit; et consulet rebus omnibus quae

attinent ad disciplinam, cui servandae omnia Collegia utilia efficiet[1]. »

1. « La première et la plus importante de toutes les institutions que je croirais nécessaires, celle qui me semble la plus propre à immortaliser le règne de Votre Majesté, celle qui doit influer le plus sur la totalité du royaume serait, Sire, la formation d'un conseil de l'instruction nationale sous la direction duquel seraient les Académies, les Universités, les collèges, les petites écoles. Ce conseil n'aurait pas besoin d'être très nombreux, car il est à désirer qu'il ne puisse avoir lui-même qu'un seul esprit. Il ferait composer dans cet esprit des livres classiques d'après un plan suivi. Il veillerait à toute la police de l'éducation, il y pourrait rendre utiles tous les corps littéraires. » (Turgot, *Œuvres*, Paris, 1844, t. II, p. 506.)

CAPUT II

EX CODICIBUS[1] UNIVERSO CONVENTUI[2] ALLATIS, MELIORES LUDI MAGISTRI ELIGENDI ATQUE CONCILIUM PUBLICAE DISCIPLINAE CREANDUM VIDEBATUR

§ 1. — LUDI MAGISTRI QUASI MAGISTRATUM EXERCERE DEBENT ATQUE MUNUS PUBLICUM AGUNT : ITAQUE « PRIMARIA DISCIPLINA » LEGIBUS CERTIS DESCRIBENDA EST.

Ex illis quae *Codicibus* ab *Universo Conventu* sunt petita, quid illi, qui extremo XVIII° seculo aetatem, egerunt, de scholis ac magistris senserint, facilius reperias. Fere autem omnes censent non jam decere magistrum esse, ut antea, adjutorem quemdam ac quasi sacrarium cui tunc tantum, cum vacet tempus, pueri edocendi committantur. Immo vero, ante omnia ludi magistrum ita officio defungi volunt, ut ad proprium officium totam diligentiam et temporis majorem

1. Cahiers.
2. Etats généraux.

partem adhibeat; persuasum enim habent omnes rusticos litteras et numerorum scientiam et leges esse docendos, ut et sua curent (id est ut locationes et pactiones faciant, haud interveniente tabellionum sumptuoso officio) et utiles fiant cum civibus, tum ipsi civitati. Maxime igitur refert magistros peritos nominari, qui et sufficienti mercede conducantur et diligenter fungantur officio [1], nam « institutoris » nomen multis Codibus adscribitur.

« Clerici, cum moleste ferrent rusticos sibi commissos in inscitia vitam agere, jamdudum inscitiae illius causas et quasi medicinam inquisiverunt. Quibus petentibus jus est datum scholarum in nonnullis vicis instituendarum. Illa tamen institutio, nihilominus in nullis fere pagis viget [2]. » « Animadvertendum est, cum reformandorum morum cura praesertim sit cordi bonis viris, ad publicam educationem imprimis adhibendam esse omnium diligentiam [3]. »

1. Puerorum eruditio, quae ad publicarum rerum administrationem valde pertinet, magistris justis et constantibus et licitis et qui ad ea sola designabuntur ea sola curabunt, commandabitur. (Ballivia Superior, Tertius status.) « L'éducation, cette partie si intéressante de l'administration publique, sera confiée à des corps réguliers permanents, autorisés, destinés à cet unique emploi, et ne s'occupant que de cet objet essentiel. »

2. « Le clergé, affligé de voir l'ignorance des peuples des campagnes qui lui sont confiés,... en a depuis longtemps recherché la cause et demandé les moyens de la faire disparaître. C'est à ses sollicitations que l'on a accordé l'établissement de petites écoles dans différents villages. Cet établissement ne s'y rencontre cependant presque nulle part. » (Gesiensis pagus.)

3. « Observer que la réformation des mœurs étant l'un des objets

Quare non jam sufficere possunt regis quaedam edicta, ut quae annis MDCLXXXXVIII et MDCCXXIV fuerant promulgata; quin immo conscribendae sunt et componendae leges, quibus eodem modo regatur « primaria disciplina » ac rei publicae institutis magna civitatis officia gubernentur. « Certis legibus statuetur publica eruditio; quamobrem ab Universo Conventu providebitur, unde expromatur pecunia ad magistros de inopibus pueris educatis et sustentandos et remunerandos [1]. » Burdigalenses nobiles eodem modo volunt « conscribi eruditionis rationem, cum legibus atque institutis congruentem, et a Rege peti ut ad hoc creetur Concilium [2] »; a Tertio Statu Sancti Gratiani « quaeritur ut ita componatur quasi codex publicae eruditionis, ut illa unius modi sit in omnibus gymnasiis et scholis; quibus de rebus convocanda esse Concilia [3] ». « Praescriptum illud jus ratumque erit, ut

les plus essentiels d'un bon gouvernement, l'éducation du peuple paraît mériter la plus grande attention. » Victoriacus, Tertius status. *Vitry-le-François, Tiers-Etat.*

1. « Il sera arrêté des lois invariables relativement à l'éducation nationale et les États généraux aviseront aux moyens de trouver les fonds nécessaires pour pourvoir à l'entretien et récompense des maîtres pour l'éducation des pauvres. » Antissiodurum (Auxerre), Clericorum vota.

2. « Qu'il soit formé un plan d'éducation publique, dont les principes soient analogues à la constitution nationale et que S. M. soit suppliée de nommer un comité à cet effet. »

3. « Requiert qu'il soit fait un code d'éducation publique et nationale, telle qu'elle soit uniforme dans tous les collèges et écoles, et qu'il soit nommé des commissaires à cet effet. Le plan aura pour but essentiel et unique de former des hommes citoyens. »

ab Universo Conventu jam confirmatum [1] » (Aurensis vallis), etc. In pluribus quam sexaginta Codicibus, quorum quattuor et viginti a Clericis scriptis, rationi educationis cura datur.

Plerumque autem cum illis rebus jungitur creandi *summi Concilii* [2] monitum, cui et leges de educatione parandae sint, et speculandum sit ut illae serventur. « Semper a Concilio Summo curetur, ut ad majorem patriae felicitatem quasi impellantur atque incitentur omnes illae quasi sedes disciplinae; huic Concilio de rebus gestis ad Conventum Universum erit referendum [3]. » « Animadvertat praesertim Conventus Universus illud nostrum propositum : creandum esse Concilium quod praecipue publicam curet eruditionem; et in eo conscribendos esse viros multos et peritos in omnibus Ordinibus electos. Scimus enim quantum informandis moribus prosit scientia et asserendae publicae felicitati [4]. » Hoc autem illud est a Turgotio in prima commendatione positum Concilium

1. « Ce règlement aura force de loi, sanctionné qu'il sera par les États généraux (Aurons), etc. » L'abbé Allain, *la Question de l'enseignement primaire en 1789*, p. 18.

2. Comité supérieur, conseil supérieur.

3. « Qu'un conseil du roi soit perpétuellement occupé à donner une impulsion patriotique et les encouragements convenables à tous ces établissements si nécessaires, et qu'il soit obligé de rendre compte aux États généraux de son travail. » Nemosium, Tertius Status. Nemours, Tiers-État.

4. « Nous recommandons aux États généraux notre vœu pour l'établissement d'une commission spécialement chargée de s'occuper de l'instruction publique et qui soit composée d'hommes aussi

quod Condorcetius mox jussurus erat quasi gubernaculum esse in toto suo proposito de constituenda « primaria disciplina ».

§ 2. — Quomodo et formandi et eligendi sint magistri.

At nemo is erit qui tanta sit conaturus de publica eruditione, nisi maxima diligentia quasi in flore magistrorum fuerit delectus; qui quanam ratione reperiri possit, haud inepto quidem modo requirunt.

Illud autem notandum videtur, ut res animadversione digna, ab ipsis clericis, quanquam antea in manibus administrationem publicae eruditionis praesertim quod ad primariam scholam spectat, habuerant, non solum vituperantes aut alia desiderantes comprobari, sed ultro longe alia efflagitari; etenim bona scilicet fide confitentur, a sese neque omnia satis peracta et nimis obnoxios plerumque magistros compressos, et illorum aut eligendorum aut gubernandorum sollertiam parum esse spectatam. Namque ab abbate mordaci illo modo descriptus est magister : « Fere omnium rerum est inscius, nisi litterarum, adeo ut in antiphonario dictum Missae officium repe-

nombreux qu'éclairés de diverses classes, sachant combien les lumières influent sur les mœurs des citoyens et sur le bonheur public. » Santones, Nobiles. Saintes, noblesse.

riat; at in vico psalmista fuit, et militiam timet, et psalmista adhuc est.... Adest, et, ut ita dicam Stentoreis quasi latrat vocibus; ita ut magno omnium favore fruatur [1]. » Quid igitur, nisi quod presbyter, dum magistrum aut profert aut nominat, illum in primis quaesivit, qui, in sacrario eductus, fore et sibi et Ecclesiae perutilis visus sit? Brevi tamen istum aegre vidit in Ecclesia « trabea indutum insolentiusque superbientem; quin etiam magister poene imperio tenet ipsum parochiae presbyterum [2] »; etenim tanto altius sese effert, quanto majorem propter sollertiam est electus.

Igitur ut magistrorum multi mutentur petitur ab omnibus, exempli gratia, quaeritur a Colmariensibus clericis, « ut magistri et emendentur et excitentur; neve unquam, nisi constituto certamine, nominentur;... atque ut illorum utilissimorum virorum quasi Seminaria creentur [3] »; a Durdanensibus « ut

1. « Il ne sait à peu près rien que lire jusqu'à trouver l'office du jour dans un livre d'Église, mais il a été enfant de chœur dans son village, il craint la milice et il chante au lutrin. Il se présente, il fait éclater une voix qui approche de celle de Stentor et cela suffit pour qu'il soit reçu avec applaudissement. »

2. « M. le Magister se pavane dans l'église avec une chape sur le corps, peu s'en faut qu'il ne veuille faire la loi au curé de la paroisse. » (Journal de Troyes et de la Champagne méridionale. *Lettre du curé de Courtalon*, 1784, le Volume, 11 mars 1899.)

3. « Que la classe des maitres d'école soit perfectionnée, encouragée, améliorée; que leurs places ne soient données qu'au concours,... qu'il soit formé des pépinières de ces hommes si nécessaires. »

et magistris et illorum familiae suppeditentur quae sint illis ad vivendum necessaria; et ut prius exploret presbyter quam magistrum nominaverit, illius erga Deum pietatem et facultates[1] »; Insulae (Lille) petitur « quo illud sanetur malum, quo nimis temere Clerici in parochiis persaepe eliguntur ad scholas regendas, ut instituatur quasi certamen inter magistros[2] »; Lugduni « ut accurratissime deligantur magistri[3] »; Luteciae « ut, quia haud illaesae sunt res scholarum.... illae nulli committantur nisi qui omnibus et bonus et sollers probetur[4] »; Veroduni, « ut in una quaque dioecesi condatur publica schola, in qua formentur magistri ad erudiendos rusticorum liberos[5]. » Quae omnia si colligas, quid est aliud quam si *institutores* in ejusmodi scholis, quae jam, antequam essent, *normales*[6] vocatae erant, de propriis officiis

1. « Qu'on assure un sort suffisant aux maîtres et à leurs familles et que le curé s'assure, avant de les nommer, de leur religion et de leurs talents. »

2. « Pour remédier à l'abus qui résulte du choix souvent arbitraire des clercs de paroisse chargés de tenir les petites écoles, demander qu'il soit établi un concours. »

3. « Que les maîtres et maîtresses soient choisis avec soin. »

4. « Puisque l'éducation est dans le plus déplorable état... qu'elle ne soit confiée qu'à des personnes d'une vertu et d'une capacité reconnnes et qu'il soit pris des mesures pour s'en assurer. »

5. « Qu'il soit établi dans chaque diocèse une école publique où les maîtres seront formés à l'instruction de la jeunesse des campagnes. »

6. Jam anno MDCCLXII desiderabantur scholae normales quas praeses Roland (président Roland) necessarias esse vehementer ostendit; quod a Fratribus Scholarum Christianarum quasi primum est tentatum.

et quasi professione erudirentur; felicem videlicet et novam prorsus institutionem!

Sed Clerici, ut et juris quod dicunt sui, et officiorum magistro praebendorum tenaces et quanti sit ponderis « primaria » eruditio, minime ignari, volunt a sese (quid mirum?) usque et nominari et regi et ex officio removeri magistros [1]. Tertii autem status delegati, ut concedent summatim scholas Clericis esse administrandas, ita negant cunctas scholarum res iisdem esse committendas. « Cum de magistris aut probandis, aut repellendis statuetur, convocabuntur et syndicus et quattuor in parochia notabiles, et duo e parochiis finitimis presbyteri, a magistris ipsis electi, si quidem eorum petant censuram; quibus omnibus provincialia et municipalia Concilia praesidebunt [2]. » In pago dicto « Bellocq », ab iisdem

1. Vide n. p. 11. « Hinc jam nullomodo licebit magistri quisquam officio fungatur nisi assentiente parochiae presbytero » (Ballivia Superior). « Censemus, quo facilius erudiantur puellae, monasteriis praecipiendum esse ut omnibus scholas gratuito aperiant, quae presbyteris sint inspiciendae » Blesum (Blois). — Rivus Morentini (Romorantin) : « Ut illud sanetur malum quo nimis temere Clerici in parochiis persaepe eliguntur ad scholas regendas, instituatur quasi certamen inter magistros; cui is praesit, cui illi sunt nominandi assidentibus duobus presbyteris. » Insula : « Submittendos esse magistros et magistras presbyteris a quibus inspiciantur; quin immo, cum necesse erit, ab iisdem ex officio amoveantur. » Luteciae, extra muros : « Magistros qui aut jam sunt nominati, aut posterius nominabuntur, officio fungi non licebit nisi inspicientibus presbyteris, et probante officiali; ad arbitrium vero depelli poterunt, neque mercedem prius accipient quam presbyter eos semper recte fecisse testificetur. Verodunum, etc.

2. « Lors de l'examen pour la réception ou le renvoi des maîtres et maîtresses d'école seront appelés le syndic et quatre notables

postulatur ut « pueri de legibus ac moribus regionis edoceantur, ut ii fiant qui municipii magis quam clericatus officiis muneribusque defungantur [1] ». Exonae (Essones) repetunt « ut municipio jus detur magistrorum magistrarumque nominandorum, et demovendorum [2] » ; « ut gratuitae scholae a municipio, inspiciente Provinciali Concilio, administrentur » [3].

Nobiles autem primarias scholas minime curant; Lugdunenses tamen petunt « ut diligenter detur opera ad reformandam publicam disciplinam, quae vere magistris committatur, qui si incuriae aut flagitiorum aut inscitiae manifeste fuerint, officio demoveri possint [4] ». Ambiani (Amiens) autem petitur « ut gratuitae scholae a Provincialibus Conciliis inspiciantur [5] », quae eadem postulantur Bellovacis, Castri Theodorici (Château-Thierry), Querceti (le Quesnoy);

de la paroisse, même deux curés voisins, au choix desdits maîtres et maîtresses, s'ils le requièrent, le tout sous l'inspection des assemblées provinciales et municipales. » Luteciae, extra muros.

1. « Il demande que les maîtres soient capables « d'apprendre aux enfants la coutume et la constitution locale » et qu'ils soient plus en état de partager les devoirs et les charges de la municipalité que ceux de la cléricature. »

2. « Le droit de nommer aux places des maîtres et maîtresses d'école, ainsi que celui de les destituer. »

3. « Que les écoles gratuites administrées par les municipalités, sous la surveillance des états provinciaux. »

4. « Qu'on travaille sérieusement à réformer l'instruction publique, et qu'elle soit confiée à un corps enseignant et que les membres soient amovibles pour cause de négligence, d'inconduite ou d'incapacité. »

5. « Que les écoles gratuites soient surveillées par les états provinciaux. »

denique in multis Nobilium Codicibus in quibus nihil de primaria eruditione reperias, rogatur ut gymnasia a Provincialibus Conciliis custodiantur; unde apparet illos quoque a quibus sunt scripti, eadem in scholis esse reformanda censuisse.

Praeterea scholas alii omnino laïcorum, alii omnino clericorum esse volunt : universi clerici pertinaciter laborant ne exsistat magister quisquam, quem clerici non nominaverint aut non custodiant, ita ut ante omnia diligenter doceat catechismum, — ut denique vetetur ne haeretici pueros erudiant. Diniae (Digne) contra tertii status delegati aperte affirmant « magistratibus publicis custodiendam esse puerorum disciplinam; quod jus, quod officium ad illos pertinere, cum postea pueri cives sint futuri in omnibus populi ordinibus [1].... et quia maximi sit momenti ex animo eorum excuti superstitionem, qua mentes fiant quasi pusillae ». Eodem modo delegati loci dicti Herblay profitentur « publicam educationem progredi non potuisse, quod clericis inspicientibus omnino subjecta esset [2] »; itaque postulant ut christianae disciplinae conjungantur « quae rusticis ostendere possint errores

1. « C'est au magistrat civil à veiller sur la première éducation. Ce droit et ce devoir lui appartiennent, les enfants devant former un jour les citoyens de tous les ordres de la société... et parce que il importe « d'éloigner » de leur cœur toute idée de superstition qui rétrécit l'esprit. »

2. « Ce qui a mis des entraves au progrès de l'instruction, c'est qu'elle a été soumise à l'impression exclusive des ecclésiastiques. »

et vanas opiniones, quae saepe sint perniciosae [1] », atque ut a clericis ea solum edoceantur quae sunt relligionis; « de ceteris autem scientiis Provincialibus Municipalibusque Conciliis tota custodia committatur [2] »; a Rodeniaciis autem petitur ut « magistri magistraeque illorum suffragiis aut nominentur aut dimittantur quorum id maxime refert; et a laicis, non a clericis inspiciantur [3] ».

Inquiramus nunc quae sentiant ii quorum ad dignitatem hoc maxime interest, id est inter magistros qui sententiam proferre possent vel audent. Minorum autem urbium et vicorum et pagorum in Burgundia provincia magistri in longo indice adscripserunt « querimonias ad Conventum Universum mandandas [4] », quibus quamquam legitime in tutela clericorum esse scholas confitentur, postulant tamen ut sibi quoque tutela illa faveat, nedum semper illis suspecti habeantur, etenim « Ministri et magistratus magistros tueri debent et defendere » [5]. Pecuniam enim haud suffi-

1. « Ce qui peut éclairer le peuple des campagnes sur des erreurs et des préjugés souvent funestes ou tout au moins nuisibles. »
2. « Qu'au surplus la surveillance appartienne aux administrations provinciales et aux municipalités. »
3. « Que les maîtres et maîtresses d'école soient institués et destitués par les parties intéressées, à la pluralité des voix,... qu'elles soient surveillées par le ministère public séculier et non par les ecclésiastiques. »
4. « Doléances à présenter aux États généraux. »
5. « Les ministres du Seigneur et les magistrats devraient être leurs soutiens auprès des populations. »

cientem accipiunt; neque vel minima cum dignitate vivunt[1], atque coguntur, ut multa faciant a suo officio aliena : « namque necessitate constringuntur ut et in Ecclesia primi sint psalmistae, et firmiorem reddant chorum per divinum officium,... et presbyteris semper, diu noctuque assideant[2] ». Inde fit ut aliquando magistri, quamvis sollertes vel diligentes, operae tamen parum studeant, adeoque ea fastidio abalienantur, ut male denique res se habeat. Qua de causa bonis magistris egemus, cum permulti munus illud reformident et recusent quo elato animo defungi possent.

Malo autem demonstrato, medicinam demonstrant. Quo aptiores fiant magistri, oportet aptius eligantur : ut sint inter quos eligi possit, oportet a summa Administratione defendantur, atque aut ipsi illi, aut saltem Provincialibus Conciliis sint obnoxii[3], et tutam habeant et liberam illius muneris functionem ; dignitatem muneris conservent, servato civili jure quo ita spoliantur, ut jamdudum in sordidam quasi ceciderunt condicionem.

1. « A rusticis sic pueri magistris, ut pastoribus pecudes committuntur. » « Les gens de la campagne confient leurs enfants à un maître comme ils confient leurs animaux à un pâtre. »

2. « Obligés d'être à l'église les premiers chantres et soutenir le chœur dans le service divin,... d'assister les pasteurs dans toutes les fonctions de leur ministère, soit de jour, soit de nuit. »

3. Infra tamen non aegre laturos se profitentur, si inspicientur magistri a presbyteris et magistratibus.

In quibus eligendis profecto convenit : 1° eos tantum eligi, qui jam ante viginti annos fuerint nati, et qui uxorem aut habeant, aut primo jam anno sint habituri, nisi domicilium habeant cum patre aut sorore aut propinquis, qui pro illis spondere possint; 2° eos testimoniis instructos esse de bona vitae relligionisque ratione, deinde interrogationibus inspici a peritis hominibus, praesentibus presbyteris et magistratibus, id est municipalibus ministris, in urbibus et vicis, — in pagis, scabinis et syndicis, cum quattuor ex notabilibus. Praeterea conveniet inter plures illum tantum eligi, qui, neglectis ceteris causis, sollertia fuerit maxima.

Postquam magister ita in urbe vel vico fuerit collocatus, oportet illud indicetur *provinciae procuratoribus* [1], qui in codice ejus nomen, aetatem et titulos inscribant, neve magister ullo modo ex officio dejici possit, nisi auctoritate procuratorum, ac merito quidem, diligenterque comperta de causa. Ceterum, neque ipsi magistri munus aut mutare aut derelinquere prius poterunt, quam, explanatis causis, jus sibi datum fuerit.

Inter omnes ergo anno MDCCLXXXIX consensum erat necesse esse et publica puerorum educatio in cunctos vel viculos proferretur et fieret quasi civitatis

1. Administration provinciale.

justa pars quaedam, et certis regeretur legibus, et propriis ministris committeretur qui quam accuratissime essent eligendi. Quam abhorrebant illa a prisco rerum statu, cum antea praecipuum magistro daretur negotium res Ecclesiae curare et contra haeresim repugnare! Sed difficilius tot tantaque commutari poterant : quod brevi intelligetur, cum de votis illis per leges ac decreta definiendis agetur.

CAPUT III

DE CONCILIO CONSTITUENTE[1] ET DE ELIGENDIS MAGISTRIS

§ 1. — A CLERICORUM DOMINATIONE LIBERANDI ESSE ET MAGISTRI ET QUI SCHOLIS PRAESINT, A PLURIBUS EXISTIMANTUR.

Conventus universus non extemplo illa reformare potuit, de quibus ad Versalias vocatos esse se arbitrabantur legati. Etenim quae erant reformanda plerumque a rerum administrandarum ratione pendebant; at statim a primis diebus apparuit animos omnium de rebus illis magis occupatum iri quae ad formam ac rationem ipsius rei publicae pertinerent. Dum nobilium enim plerique et Clericorum maximi, cum timerent ne sua privilegia delerentur, sese cum regis amicis conjunxerunt, ne ulla renovarentur, praesertimque ne de rebus publicis Conventus consultare posset, Tertius vero Status et Clericorum si qui

1. Assemblée constituante.

populi partes sequebantur, quibuscum breve post tempus coierunt nonnulli Nobilium, confirmaverunt se, quae, quibus erat jus suffragii, polliciti erant, esse servaturos, ut leges fierent vota in Codicibus inscripta. Quia autem fere omnes, Luteciae praesertim, illis rebus assentiebantur, post aliquot menses tantam rettulerunt victoriam, ut « politicum » fierent Concilium, quod *Nationale Concilium*[1] est nominatum; in quo omnis cura versabatur ut et delerentur privilegia et in absoluti imperii locum supponeretur auctoritas legitima et certaretur adversus illos qui antiquum rerum statum servare et in dies majora usurpare conabantur.

Quibus de causis non solum non extemplo, sed etiam non pro votis in Codicibus exproptis, omnia sunt reformata. Immo vero, quamvis vehementer omnes publice edocendos curarent, delegati tamen illa negligere conati sunt, dum publica officia recreant ac saluti suae consulunt. Postea autem, a Targetio moniti necessario eruditionem publicam esse constituendam, illum quidem recte dixisse professi sunt; eum vero audientes in alienis rebus occupabantur, quia haud longe aberant quae quinto et sexto die Octobris mensis evenerant; itaque sententiam in futurum protulerunt (trigesimo Octobri die). Nihil igitur egerunt nisi *Con-*

1. Assemblée nationale.

cilio Constitutionis[1], publicam eruditionem temperandam mandaverunt, atque ita ostenderunt quam et gravia illa ducerent et vehementer cuperent solum in universum eadem considerari[2] et valde optarent tantum ad majorem laicorum ac rei publicae auctoritatem asserendam.

Sic igitur a Clericorum maximis, quia plerisque in Concilio publico reformanda cupientibus obsistebant, factum est ut in futurum rejicerent reficiendam eruditionem. Sed ita in suspicionem inciderunt episcopi, quasi non bene de rebus publicis sentirent, ut postea scholarum regendarum fides illis sit derogata; etenim cum principio MDCCLXXXIX anni inter omnes constaret necesse esse ut penes illos esset scholarum rectio ac tutela, et creatio atque « inspectio » magistrorum; ex contrario, haud multis post mensibus, fere omnes petebant ut nemo nisi laicus scholis praeesset[3].

Quare Condorcet recte dixit inter homines qui ante quintum Maii mensis diem, ac qui post memo-

1. « Comité de Constitution. »
2. Inter omnes enim convenerat, Nationale Concilium (Assemblée nationale) cum semel res publicas omnino constituisset, dimittendum esse, ut illi Concilium alterum succederet.
3. Omnia illa plane enucleari plurimum intererat : attamen apud quos scriptores delegati accusantur quod mandata neglexerint dum profiteantur laicis committendas esse res scholasticas, eadem illa omittuntur. Nullo modo autem delegati ab omnium sententia transfugerunt, at illius cursu quasi sunt provecti.

randum illum diem vixissent, quasi saeculum inter-esse.

§ 2. — Mirabeau praesertim libertatem de disciplinis atque paedagogis servandam esse asseverat.

Ut res manifestior omnibus fiat, oportet breviter dicamus quae sint in Orationibus de Institutione[1], quas Mirabeau habuisse diu putatus est (quia Cabanis, a quo editae sunt, declaravit sese illas in iis quas scripserat Mirabeau Chartis repperisse), cum re vera vix aliquot clarissimi tribuni illius de publica eruditione sententias ostendant. Ceterum Mirabeau non satis paratus fuisse ad illam rem gravissimam tractandam admodum apparet, cui haud satis curae adhibuerat[2]. Qua de causa neque firme neque cohaerenter omnia tanquam aedificare potuit. Cum enim saepe dicat contraria, nec quaeque subtiliter exsequatur, aut certo verbo nominet, facile agnoveris Orationes illas quasi a viro minus perito esse scriptas; qui materiam nimium in universum considerat, spectatque magis ad res publicas quam ad illud quod ad ipsas scholas

1. Discours sur l'éducation publique.
2. Etenim ipse Mirabeau in Epistolis ad Genevensem civem cui nomen erat Reybaz, sese parum ad illa paratum esse confessus est. Nam ita solebat eos rogare ad quos scribebat, ut sibi dicerent quae de scholarum rebus sentirent, quae scilicet adeo denique quasi sua effecisset, ut sui vere digna fierent.

[illegible]. Ad id tamen [illegible] semper [illegible], ut [illegible] scholas esse committendas omnes censent. « Reipublicae eripienda est puerorum eruditio ab illis qui auctoritate aut conditione ad prava [illegible] possint [1]. »

De ipsa autem disciplinae institutione, modo censet liberos parentes esse probandos; modo praesentem suspicit quanta futura esset in omnes auctoritate publica administratio, si educatione potita esset [2]. « Necesse quidem esse cuncta privatorum opera sint libera [3] », et alia et puerorum eruditio: atque igitur « Publicum Consilium id solum curet, ut scholas instituat, et quae quisque docere debeat designet [4] »; docendi vero rationes atque vias omittat. Sed « nisi in eis tempestatibus ad majorem rei publicae [illegible] illa [illegible], fortasse inde gravia [illegible] libertati fore [5] », rationem igitur quamdam esse condendam « ut et magistri

1. « L'État doit retirer l'enseignement à des pouvoirs ou à des corps qui pourraient en dépraver l'influence. »

2. [illegible]

3. « Tous les travaux de la société doivent être libres. »

4. « L'Assemblée aura le droit de [illegible] déterminer le genre d'instruction... »

5. « Si, dans les circonstances actuelles, l'éducation n'était pas dirigée d'après des vues nationales, il pourrait en résulter plusieurs inconvénients graves et menaçants pour la liberté. »

obligantur et pelliciantur puerorum animi[1] »; magistrosque a Communi legatis oblatos, *Rectoribus*[2] *Districtorum* esse eligendos quia « nulli eorum, qui constanter publica fruantur potestate, metuenda illa arma sint credenda[3] ».

Igitur Mirabeau in Orationibus multis Codicum votis fuit impar. Rustici enim, ut qui usu perspexissent quae antea fuissent disposita, petebant ut magistri melius ad officia essent parati, ac, cum nossent quam periculosa sit in proximo ambitio, nihil electis magistratibus committi volebant, nisi jus custodiae, cujus qui vere magistris praeessent, non essent expertes. Praeterea, si videatur magistros suffragiis esse eligendos, quae causa sit cur non ab ipsis illis potius, quos maxime illa cura sollicitat, non assumantur, quam a Rectore Districti, ad quem maximi possint esse momenti qui scholas minime curent?

Equidem ex illis parum connexis consiliis vix agnoscere possis « maximum illum Reipublicae moderatorem[4] », praesertim cum ad illa referas, quae senserunt alii illius aequales, ut Condorcet, Lakanal, etc.

1. « Qui enchaîne les instituteurs et qui s'empare de l'esprit de la jeunesse. »
2. Directeurs de districts.
3. « Aucun pouvoir permanent ne doit avoir à sa disposition une arme aussi redoutable que l'éducation. »
4. Homme d'État.

§ 3. — Concilium Constituens communium magistratibus curandas scholas committit.

Attamen quae de eruditione sensisset Mirabeau, quamvis nondum matura essent, omittere non poteramus quia et ille erat quasi magna Concilii pars quaedam, et coetus ipse, quanquam satis temporis non habuit ad rationem publicae educationis ex Codicum votis componendam, viam tamen tentavit quam designaverat Mirabeau. Abolita enim, quarto die Augusti m. MDCCLXXXIX, decuma, et decreto facto secundo Septembris die, quo quas fortunas antea habuerant clerici in publicum restitui jubebatur [1], scholas a clericorum pecunia quasi a vinculis liberavit; nonne ita plane declarabat ab illis quoque eripiendam esse cum educationis, tum ipsorum magistrorum tutelam? Quod adeo ab omnibus est intellectum statim totam per Galliam tanquam emancipari magistros, cum deletae Clericorum auctoritati nulla alia fuisset substituta. Similia autem, obruto antiquo rerum statu, in omnibus officiis publicis evenerunt quae « spontanea rerum perburbatio [2] » vocata est : tum

1. Adde quod, cum sibi deesse tempus intelligerent ad leges illas imponendas, Concilii magistratus paulo post sententiam mutaverunt, ac supra decretum praestiterunt quae bona ad scholas sustentandas erant designata (vicesimo Aprilis, tertio vicesimo Septembris die MDCCLC).

2. « L'anarchie spontanée. »

enim in conciliis incolae sua quisque curare conati sunt, atque in magnis urbibus prolatam potestatem clericorum et nobilium et procuratorum [1] detrimento sibi vindicaverunt. Nam omnibus haud minus invisi erant procuratores atque eorum delegati [2], quam qui privilegiis fruebantur, ita ut Concilium Constituens adjutores tyrannidis illos tollere non dubitavisset. Quare, cum decembri mense anni MDCCLXXXIX nova collegia suffragiis nominanda, simul ac Communium [3] et « Departimentorum » administrationem composuit, simul plane significavit a sese tutelam scholarum cum regiae potestati, tum clericis jamjam subductum iri. Quin immo in Concilio omnes ad ea consenserunt. Etenim in nullo Codice petitum erat ut procuratores scholis ministrandis praeessent. Concilium vero Constituens « Collegiis departimentorum electis [4] » scholas inspiciendas commisit. Quae si cum decreto xv° die aprilis MDCCLXXXXI prodito [5] conferas, Concilium Constituens ad id tendebat, ut Communia, inspicientibus *Departimentorum Collegiis*, magistros et eligerent et specularentur.

1. Intendants.
2. Subdélégués.
3. Decreti xii[i] et xiv[i] dierum decembris mensis, municipia sunt constituta, et « Departimentorum conciliis » subjecta, quanquam potestate non erant expertia. Decreto autem xxii[i] diei decembris temperatum est jus suffragii.
4. Assemblées départementales.
5. Decreto illo confirmatum est Municipiis jus creandorum magistrorum, dummodo Municipia ex certis titulis eo jure uterentur.

Non deerant tamen Delegati qui Concilium Constituens urgerent ut tandem opus inciperet, et populum donaret ratione illa eruditionis publicae, quam omnes valde expostulabant. Praeterea *rogationes* [1] et petitiones persaepe miserant ultro privati [2]. De quibus cum singulariter disputari non posset, omnia ad *Concilium Constitutionis* [3] rejecit. Primum autem xiii° demum die octobris de institutione dissertum est in publico. Talleyrand obnixe petiit ne qua ex parte decretum de institutione prius haberetur, quam illa in universum elaborata, — et rogatio a Concilio conscripta fuisset. « Bona enim disciplina, ut ait summatim, omnes aeque cives donare volumus; qua de causa brevi rationem nostram proponemus publicae institutionis, quibus vos quotidie regimini legibus constitutam, et in illa quasi ipso Reipublicae animo cuncta erunt imbuta. Sed non ante longum tempus singula erunt perscripta; posteaque quaerendum erit quomodo potissimum omnia sint administranda; cum autem necesse sit haud prius intermittatur puerorum disciplina, a vobis petimus ut et scholae, sicut antea, interim conserventur, et in illas more

1. Projet de loi.
2. Vide harum rogationum commemorationem in Summa Camusii annis MDCCLXXXXI et MDCCLXXXXII edita, quam J. Guillaume scripsit in praefatione operis de Coetu Publicae Institutionis in Concilio Legislativo (le Comité de l'Instruction publique de l'Assemblée constituante).
3. Comité de Constitution.

usitato redeant pueri [1]. » Quae Concilio sunt probata.

Primo igitur die januarii MDCCLXXXXI statutum est ut continuo graviora quaedam, inter quae publica eruditio, curarentur. Tertio tamen et quarto die Septembri demum est decreta prima lex de scholarum disciplina; vel potius primum legis caput, quo vere publica condebatur eruditio, atque publicis officiis adnumerabatur, quod his verbis scribendum visum est:

« Il sera créé et organisé une instruction publique, commune à tous les citoyens, gratuite à l'égard des parties d'enseignement indispensables pour tous les hommes, et dont les établissements seront distribués graduellement dans un rapport combiné avec la division du royaume. »

Aliquot autem post dies studuerunt illis quae Talleyrand proponebat. Quod propositum, diligenter elaboratum expositionem sequebatur productam ac necessaria argumentatione mimine contemnendam. Itaque extemplo fidem Concilio fecit, at simul apparuit de illo tam gravi et longo, utiliter disputari non

1. « Nous voulons appeler aux bienfaits de l'instruction tous les citoyens indistinctement; nous vous proposerons un plan d'éducation nationale, fondé sur les principes dont l'Assemblée s'inspire tous les jours, et toutes les parties de ce plan seront pénétrées de l'esprit de la Constitution. Mais la rédaction des articles durera longtemps encore; il faudra ensuite chercher les meilleurs moyens administratifs pour passer de l'ancien état de choses au nouveau, et comme d'ici là le service de l'enseignement ne doit pas être suspendu, nous vous demandons de maintenir provisoirement les

posse, quia jam in eo erat Concilium ut dimitteretur. Quod frustra Talleyrand in tertiam partem contraxit, atque illius nihil nisi maxime necessaria servavit : Concilio tamen Constituenti non visum est graviora illa inconsulte decidere, quae succedentibus solvenda tradidit.

§ 4. — Talleyrand potiorem publicorum magistratuum tutelam esse putabat.

Quo in proposito illud praesertim novum repperis aliorum atque antea manibus scholarum res esse committendas. Censet enim Talleyrand neque omnibus neque locupletioribus eligendos esse eos qui de magistris existimandi jus habeant; quare hoc natura colligit, officium illud, ut constans ac distinctum, distincte esse administrandum : igitur, ut navales aut militares, ita scholarum res proprio consilio procurentur quibus praeficere convenit « Summum Concilium [1] » ex quo tanquam ex fonte quodam in universum regnum diffundatur disciplina, et eadem semper serventur instituta, et illa denique summi imperii pars praecipua semper ad meliora ducatur [2]. »

écoles existantes et de laisser faire la rentrée comme à l'ordinaire. » Talleyrand (*Oratio* XIIIº *octobris die MDCCXC habita*).

1. Commission supérieure.

2. « Une Commission supérieure, destinée à être un centre commun, à répandre dans tout l'Empire les moyens d'instruction, à maintenir l'unité des principes, et à perfectionner cette partie essentielle de l'organisation sociale. »

Praeterea legati [1], atque iis obnoxii inspectores a principiis administratione pendent, cui tamen minime sunt obligati, cum a Rege nominati, non possint ex officio dejici, nisi antea Corpus Legislativum de iis censuerit. Ceterum Talleyrand cum illis, qui Regis tenebant partes, parum fideret, illa accipienda censebat; quod Regi diffidebat, legatis vel minimam potestatem commisit. Quibus cum contigerit tantum in administratione versari, et ad comprobandos vel cohibendos magistros minimi sint momenti, nihil quidem possunt, nisi consiliis aut custodia adjuvare magistros.

Titre IV

De l'élection, de la nomination et de la destitution des maîtres d'écoles primaires.

Les maîtres d'écoles primaires... doivent être éclairés et vertueux, puisqu'ils sont également chargés d'instruire les enfants et de les former à la vertu. Leurs talents seront donc éprouvés par des examens sévères, et les précautions qui seront prises pour leur nomination présenteront aux pères et à la société les qualités morales des maîtres auxquels sont confiées l'espérance des familles et celle de la patrie.

Article II. — Ceux qui se destinent à l'enseignement des écoles primaires se rendront à un temps indiqué chaque année, aux chefs-lieux de districts qui seront déterminés par la direction du département. La direction nommera cinq juges, dont deux au moins seront pris parmi les maîtres publics. Les candidats seront examinés dans toutes les parties de l'en-

1. Commissaires, membres de la Commission supérieure.

seignement des écoles primaires. Ceux qui seront reçus à l'examen seront inscrits sur la liste des éligibles.

Article IX. — Lorsqu'une place de maître d'école primaire sera vacante, le proviseur, syndic de la municipalité, en donnera avis au proviseur, syndic du district; la direction nommera à la place vacante parmi tous les éligibles du royaume.

Article XV. — Les municipalités seront chargées de l'inspection, et surtout de la surveillance des écoles primaires.

Article XVI. — Les municipalités feront connaître au proviseur, syndic du district, les plaintes formées contre les maîtres pour faute de leur enseignement. Ils ne pourront être destitués que par la direction du département, à la pluralité des trois quarts des voix, et après avoir été entendus.

Neque enim magistri subjiciuntur illis legatis, qui nihil nisi scribas nominare aut deficientes magistros interim supplere possunt, ita ut cum illis legum servandarum cura commendetur, haud facile videas quae, contemptis iisdem illis legibus, agere potuerint.

Re autem vera Departimentorum Conciliis committitur auctoritas, e quibus aliquis delegatur ad scholas inspiciendas, et a *Directorio* [1] magistri creantur vel ex officio amoventur. Communibus contra jus conservatur scholarum inspiciendarum, atque ad *Districtum* [2] referendi, si qua minus probent in magistris.

Quo denique in proposito nonnulla reprehendere possis, de quibus jam vituperari posset Mirabeau : gravissimum illud apparebit, nominandorum magis-

1. Directoire du département, partie de l'Assemblée départementale chargée de l'administration.
2. District.

trorum curam illis committi, qui eos non tam aeque aestimare possint, quam qui aut in ipsis illis rebus sint versati aut, ut patresfamilias, maximi momenti illa esse sentiant. Praeterea cujusque jura accuratissime discernit, ne fiat quisquam formidolosus; jus inspectionis partim Communibus partim Departimenti delegato; administrationis vero, modo Departimento, modo Concilio Summo committit, et insolita quidem ratione, cum rerum illarum partem magnam tribuat non delegatis a summa administratione, sed magistratibus electis a paucis qui res publicas tantum sint respecturi; denique qui delegantur ut servandas leges curent, nulla fruuntur auctoritate, et, cum e Rege pendeant, ad ipsum Concilium Legislativum omnia referre possunt.

Apparet igitur illud propositum, quamvis indulgens sit et diligenter elaboratum, nihilominus temporarium esse opus, ac contentionem illam Concilii adversus Regis potestatem commissam plane ostendere. Haec autem illi maxima laus debetur, quod primum promulgat necesse esse interrogationibus probetur num magister officii proprii sit peritissimus, et deinde quia magistros quasi stabilit, cum neget illos ab officio revocari posse [1], nisi publico judicio ac nisi plures quam judicum quarta pars non vetuerint.

1. V. supra, p. 44, art. 16.

A principio enim Rerum Novarum fautores censuerunt, Communis magistrum adversus injusta crimina, et quae perfide eum aut terrere aut praeoccupare possint, tuendum esse.

In summa sunt in illo proposito quod conscripsit Talleyrand, nonnulla quae usque sint remansura, quoquo fluctuare possit res publica : puerorum educatio quasi publicum officium facta ; — magistrorum designatio ad laicos transmissa — tantum post interrogationes probati magistri ; etc. Sed de nominandis atque inspiciendis magistris quid ex summa administratione, quid ex Departimentorum exacte discernitur : de quibus praesertim postera disputatura erant Concilia.

LIBER SECUNDUS

LEGES AC DECRETA DE PRIMARIA DISCIPLINA LATA

CAPUT I

QUID AD CONCILIUM LEGISLATIVUM [1] CONDORCET RETTULERIT

§ 1. — Quibus sedere in cœtu publicae institutionis [2] licuerit et quatenus iidem viri leges ac decreta scribere possent.

Concilium Legislativum cum sibi rei publicae leges atque instituta non essent componenda, primo statim tempore dedit operam, ut quaedam, in opere ipso reformaret : in quibus puerorum educatio praecipue instare visa est. Itaque creati sunt quattuor et viginti viri, qui praesertim illa curarent, et ad summam administrationem sententiam referrent.

1. Assemblée législative.
2. Comité d'instruction publique.

Qui *Coetus* usque ad finem Concilii Legislativi officio est defunctus. Centies et septies est convocatus, a tricesimo Octobris die anni MDCCLXXXXI, ad secundum vicesimum d. Augusti MDCCLXXXXII, et sese admodum diligentem praebuit. Etenim libellos rogationesque quae plurimae ex omnibus Galliae partibus missae erant, accurate percensuit; quin etiam epistolas tradidit permultis Civitatum Conciliis, quae praefinita ratione interrogavit, adeo ut septemdecim proposita penitus inspiceret.

Adde quod, cum in illo essent philosophi aut doctissimi viri, ut Condorcet, Lacépède, Quatremère, et qui antea artium liberalium fuerant magistri, ut Arbogast, Romme et alii viri egregii, ut Carnot, Prieur multique praeterea episcopi, Coetus ille is in primis erat, qui operam apte perficeret. Per totum autem annum, plurimum sententia valuit Condorcet. Etenim, cum primum convocatus est Coetus, Praeses ille creatus est; praeterea semper de illius propositis praesertim est disputatum. Quare, quinto Martii mensis die, idem electus est, qui proposita ad Con cilium Legislativum referret; quindecim autem ante diebus, id est vicesimo Februarii mensis die effe cerat ut omnes approbarent quae ipse de Collegio publico educationis instituendo rogaverat. Denique, vicesimo Aprilis m. die, paratus erat ad recitanda in

Concilio Coetus proposita. At illo die Ludovicus XVI venit in Concilium, et cunctis faventibus, petiit ut regibus Bohemorum et Hungarorum bellum indiceretur.

Itaque in posterum jam sunt prolata quae de publica institutione erant disputanda. Placuerunt plerisque quae Condorcet rettulerat eaque ut typis mandarentur decretum est. Institutionis vero Coetui est mandatum, ut ad Gallorum exercitum Epistolam mitteret. Denique, mense Decembri, *Conventio*[1] decrevit ut iterum excuderentur quae rettulerat Condorcet.

In illa autem relatione breviter complectuntur quinque Capita, quae jam anno MDCCLXXXXI clarissimus ille philosophus in « Bibliotheca publici viri »[2] ediderat. Jamdudum autem, ut ait ipse, secum animo illa agitabat; quae tum, cum *Res publicae Novae*[3] spem ingentem omnibus incuterent, edere statuit.

Ille autem, ut qui et acie ingenii omnia generatim amplecteretur, et in omnibus illis rebus aptissime versaretur, et simul scientiae et rerum publicarum haud ignarus esset, dilucide ostendit, quibus de causis quaedam aequales ejus aetatis de pueris edocendis potissimum comprobavissent; penitus autem novit quae omnes tunc de illis rebus sentirent; quo nemo

1. Convention nationale.
2. Bibliothèque de l'Homme public.
3. Révolution.

plus valuit inter legatos et Constituentis, et Legislativi Concilii, et Conventionis; ita ut fere omnia quae rogaverit, postea in leges, cum Gallorum tum ceterarum gentium adscriberentur. Attamen multa quae ad Concilium rettulit Condorcet, in illis, quae proposuerat Talleyrand, facile reperias.

§ 2. — Quae proposuerit Condorcet[1]; aut quae in universum senserit : partem aliquam publicae administrationis habendam esse educationem.

Condorcet existimat constituendam esse puerorum educationem, quod est maximum civitatis erga cives officium. Primum enim homines neque artem privatam congruenter exercere, aut civico jure frui, aut vere a tyrannorum vel praestigiatorum[2] dominatione liberari possunt, nisi satis sunt edocti. Deinde oportet cives ad magistros eligendos, immo vero ad publica munera sibi ipsis exercenda sint parati : civitates enim semper immutantur; unde fieri potest ut aut bona contingant, quibus omnes frui possint aut accidant mala quae sint eruditione sananda vel praevidenda. Denique, scientia « major fit summa utilium rerum[3] », nam unusquisque « ut summae pars est efficiens, ac

1. *Œuvres de Condorcet*, F. Didot, 1847, VII, pass.
2. « Charlatans. »
3. « Augmente dans la société la masse des lumières utiles. »

perpetui operis adjutor [1] », igitur eruditione aetate hominum meliore facta, quae sequitur aetas ea melior etiam fieri potest, quae ad meliora progrediatur : est enim « quasi lex praecipua in natura rerum, genus humanum semper ad meliora evehi [2] ».

Praeterea, oportet a civitate edoceantur non solum pueri sed etiam viri, ne postea quae pueri didicerint omittant atque ut quae nuper sint inventa, noverint. Oportet semper pervium sit omnibus et pueris et viris « templum Veritatis [3] ».

Quae omnia a Codicum propositis minime abhorrent. Quamvis certa quadam ratione composita et abstrusiore modo disputata, eadem tamen ab illo proponuntur, ac quae anno MDCCLXXXIX prebyteri libertatis amantes, urbani et rustici petiverant. Sed Condorcet cuncta illa viginti ante annis scribere potuisset; nam omnium magnam mirationem nullum stuporem tum movisset.

At liquidius et audacius quid ex quaque re efficiatur, concludit. Etenim, non secus ac qui Codices scripserunt, postulat ut qui ad tantum munus fuerint electi, quam optimi sint et aptissimi : nam, quid ple-

1. « Une partie active du grand tout et le coopérateur d'un ouvrage éternel. »
2. « Loi générale de la nature qui est le développement indéfini de notre espèce. »
3. « Il faut que la porte du temple de la Vérité soit ouverte à tous les âges. »

rumque valuisset ad « viros in Templum Veritatis ducendos » magister iste, quem descripserunt Burgundii magistri, ignarum et pannosum et ab omnibus despectum? Si quidem Condorcet Scholas « normales » negligit [1] ratus eas « sodaliciis », ut ita dicam, magis favere, quam aptos efficere magistros, prudenter tamen petit ut puerorum eruditio illis tantum committatur, quorum sollertia et scientia fuerit explorata.

§ 3. — Laici paedagogi sunto, salvis parentum relligionibus.

Plerique, cum vidissent Episcopis parum probatas esse Novas Res, consenserant ut omnino laicis mandarentur educandi pueri : quod Condorcet summatim explicat. Quae, apud « Bibliothecam publici viri », tanta cura consideravit, ut rerum lucido ordine non minor fuerit scriptor quam ille Montesquieu a quo est perquisitum, quae sit administrandae civitatis optima ratio. Hic ergo optat ut omnes in civitate sint liberi, ne aut magistratus privatos opprimant, aut privati magistratibus sint impedimento; ille contra tum salvam fore rempublicam affirmat, cum et magistri ab omnium, et omnes ad magistrorum tutela fuerint

1. Quae tamen Coetus fortasse curavit, cum illi quidam nomine Dorsch, Argentoratensis, de iis relationem misisset.

liberati. « Magistros quadam ex parte ex publica administratione pendere, et libertati et civitati ipsi reformandae periculo fore [1]. » « Quaedam enim esse jura quae summo imperio sint respicienda. » Quare injuria jubeat Respublica si ea magistros docere jubeat quae praesenti tempore sentiat. Itaque parum probet Condorcet, magistros vi Protestantium liberos pueros convertisse, ita ut vehementer contendat ne « violentur a magistris novae Galliae quae ad fidem et religionem pertineant ». « Cum relligio libere sit eligenda, nunquam fas erit publico concilio relligionem aliquam ceteris praeferre [2] »; quamobrem constituantur indices, et eligantur magistri, a quibus semper observetur optanda illa libertas.

Immo vero quae non solum de relligione, sed etiam de republica et vitae officiis et scientiis, sentiant parentes, omnino in pueris respicienda magistris esse affirmat Condorcet. « Mentibus enim sententias a summo imperio imponi non decet : quod vere ita superbum est, ut sanctissima quaeque hominum jura invadat [3]. » Maxime enim refert ad emen-

1. « L'influence exclusive de tout pouvoir public sur l'instruction est dangereuse pour la liberté et pour le progrès de l'ordre social.... Il est des droits que la puissance publique doit respecter. »

2. « Les opinions religieuses devant être le choix d'une conscience indépendante, aucune autorité n'a le droit de préférer l'une à l'autre. »

3. « Les préjugés donnés par la puissance publique sont une véritable tyrannie, un attentat contre une des parties les plus précieuses de la liberté naturelle. »

dationem hominum, atque ad omnium utilitatem vera quam plurimum in lucem proferri, quo modo publica potestas a fugitiva quadam opinione, vel ab ipso errore vera possit secernere?... Quae est parum gnara omnium rerum, cum mediocribus viris plerumque sit manibus, « qui ipsorum tempori se praebeant impares[1] ». Falsis quoque opinionibus nimis inservit, nimisque studiosa est « educationis ita regendae, ut omnes in potestatis ditionem redigantur[2] ». — Immo vero scholae « quam minime illis, qui in republica versantur, sint obnoxiae[3] »; et ipsa *Reipublicae disciplina*[4] « tantum ut factum » doceatur[5], praeterea ut servare leges cives debent, ita oportet ut pro virili parte et suffragiis illas nihilominus in melius mutent; itaque ludi magister contentus erit si leges intelligendas non religiose admirandas explanaverit.

Imo adultis quoque viris, quibuscum septenis[6] saltem diebus sermones habebit, libere leges illas expli-

1. « Qui ne sont pas au niveau du siècle où elle s'exerce. »
2. « A diriger l'enseignement de manière qu'il dispose à une obéissance aveugle pour le pouvoir établi. »
3. « Aussi indépendante que possible de toute autorité politique. »
4. La Constitution.
5. « Ne sera enseignée que comme un fait. »
6. « Chaque dimanche, l'instituteur ouvrira une conférence publique, à laquelle assisteront les citoyens de tous les âges : nous avons dans cette institution un moyen de donner aux jeunes gens celles des connaissances nécessaires qui n'ont pu cependant faire partie de leur première éducation. On y développera les principes et les règles de la morale avec plus d'étendue, ainsi que cette partie des lois nationales dont l'ignorance empêcherait un citoyen de connaître ses droits et de les exercer. » (*Id.*, p. 455.)

cabit, quem ad modum congruere possint aut cum justitia et ratione, aut cum temporibus, quibus fuerint promulgatae. Sic enim et ipse pro virili parte adjuvabit ad vera in medium proferenda, « quae neque auctoritate, neque vi quemquam prohibere decet [1] ».

At, cum insuper Condorcet nihilominus roget ut publice mercedem accipiant magistri, confitendum est eum ab iis qui rei publicae praesunt singularem vel lenitatem, vel modestiam exigere. Operae pretium solvere magistris, neque illis uti ad propriam utilitatem illis profecto temporibus talia cogitari poterant, quibus et a Clericis, ut fortunis et privilegiis sese abdicarent, — et a Rege, ut ipse quasi sanciret abdicationem suam, peteretur, — denique cum Concilium sese adeo modeste abstinenterque gereret, ut decretum faceret ne quis iterum suffragiis legeretur... Etenim illis temporibus praesentia futuris, honesto utilia ab omnibus ultro subjiciebantur. Quare a publica administratione liberos esse magistros, non secus ac magistratus, omnino aequum esse ducebant, et Condorcet ipsa justitia fortasse potiorem habebat puerorum educationem, a quo pendere illa existimabatur.

At, si a publicae potentiae, ut antea a Clericorum

1. « Qu'aucun pouvoir public ne doit avoir l'autorité ni même le crédit d'empêcher. »

tutela magistri liberentur, cui postea erunt custodiendi aut regendi? Num, ut antea Mirabeau, existimabunt puerorum eruditionem esse quasi mercaturam quamdam, quae privatim tantum sit exercenda? Minime : Condorcet enim a principio affirmavit necesse esse publica sit educatio.

Itaque, remota civitatis auctoritate, « peritorum virorum [1] » auctoritas adhibenda erit. Quid enim mirum, quod pueri docendi doctissimo cuique committantur?

§ 4. — De publica scientiarum atque artium Societate [2].

Unde autem quae sit peritorum virorum sententia cognosci poterat? Fieri non poterat ut philosophus ille Condorcet non cogitaret quantus fructus ad constituendam regendamve puerorum educationem capi posse e prudentia doctissimorum illorum virorum, qui in tot Collegiis a vano rerum publicarum tumultu secreti, animo tamen sunt compositi ut publicae felicitati curam impendant.

Quos adhibendos censet Condorcet, atque etiam non sine simplicitate quadam conscribit. In singulis enim Departimentis instituentur doctorum virorum Societates, quae inter se communicabunt, atque sub-

1. « Hommes éclairés. »
2. La Société nationale des sciences et des arts.

jicientur Summae Societati, quae quasi cardo erit omnium « rerum scholasticarum ». Academiarum autem instar, se ipsam cooptatione reficient illae Societates. Profecto in Academiis Condorcet exemplum repperit, et in aliis doctorum virorum Collegiis quae jam tunc existebant.

Attamen penitus noverat quae tum Academiis vitio darentur : in iis omnia pusillo animo judicari, nova aegre tolerari, et sodalium plerumque nasci nimium amorem... Quare Condorcet summa ope nititur ut crimine liberet collegia illa, in quibus ipse versabatur; quod haud ineptis quidem argumentis confirmat, et lepide mediocres istos deridet, qui maximo dolore afficiuntur, quod eligi non potuerunt.

Sed confitetur, « persaepe doctissimum quemque non eum esse, qui pueros edoceat ac longe aliam in consuetudinem utrumque adduci [1] ». Qua de causa in magistrorum collegia doctissimorum virorum consilia non convertentur; sed his omnes scholae « custodiendae et regendae committentur [2] ». « Multum enim conferent ad educationem puerorum et consilii luce, et operibus, et locupletissimis sententiis [3]. »

1. « Le talent d'instruire n'est pas le même que celui qui contribue au progrès des sciences, et les habitudes contractées dans ces deux genres d'occupations sont fort différentes. »

2. On leur donnera « la surveillance et la direction » des écoles.

3. « Elles influeront sur l'enseignement par leurs lumières, par leurs travaux, par la confiance que méritent leurs jugements. »

Quattuor autem Collegia Lutetiae instituentur : primum qui studeat mathematicae, — secundum ethicae et politicae, et scientiae bonis artibus accommodatae; tertium medicinae, mechanicae, rusticae et maritimae scientiae, quartum denique grammaticae, litteris amoenisque artibus. Quin immo in publico habebitur coetus [1]; et quicunque pars erit Collegii cujusdam, ceteris adesse poterit; quorum numerus semel praestituetur, vacuaeque sedes ipsorum suffragiis supplebuntur.

Quod Concilium admodum erat simile illi conventui, quem nunc vocamus *Galliae Institutum* [2]; quo uti vult Condorcet ad molem totius eruditionis publicae regendam ac gubernandam. Quod quidem prudentius et sincerius esset illis departimentorum Con-

1. Titre IV. — Article premier. La Société nationale des sciences et des arts appartient à tout l'empire.

L'objet de ses travaux et ses fonctions sont : 1° de surveiller et diriger l'instruction générale; 2° de contribuer au perfectionnement et à la simplification de l'enseignement.

II. — Elle sera composée d'un égal nombre de membres résidant à Paris, et de membres répandus dans les différentes parties du royaume. Elle s'associera, de plus, des savants étrangers.

VII. — La Société nationale rendra tous les ans au Corps législatif un compte sommaire du progrès des sciences et des arts, des travaux de chaque classe, de l'état et du perfectionnement de l'enseignement public.

VIII. — Le public sera admis à toutes les séances ordinaires de la Société nationale.

Titre VII. — Article premier. Chaque classe de la Société nationale nommera tous les ans trois personnes prises dans son sein, pour former le directoire d'instruction. Condorcet, VII, 543-546.

2. Institut de France.

ciliis, quae Mirabeau et Talleyrand et Sieyès in prima posuerunt commendatione. Cum et nomina eorum, qui Collegiis adscribi velint, omnibus nota sint, et accurate sint eligendi qui maximo fore adjumento videbuntur ad firmius et dignitate amplius efficiendum collegium, quod omnium arbitrio sit committendum, — et Summum Collegium provinciarumque Collegia inter se sint inspectura, sperat semper et sine ulla dubitatione summa diligentia selectum iri advocatos. Ne Societas illa, ait Condorcet, permixte implicetur cum priscis illis Societatibus; quia in civitate in qua omnibus est jus legis aequale, nullum est periculum, ne cupide quidquam agatur... Ne quis animo angatur, quod parum obnoxia sit summae administrationi Societas illa, cum semper legibus emendari possint quae in nimiam libertatem sint versura.

§ 5. — De eligendis magistris.

Necesse est a more illo discedatur, quo qui vix ipsi litteras noverant, assequebantur ut in aliquot menses vel annos crearentur magistri, ut postea redirent ad carpentariam vel lignariam artem. Condorcet enim volebat magistrum ita esse et scientiarum peritum, et bene moratum, ut non solum pueris, sed etiam viris in vico quasi dux et rector fieret; quae cum vita

illa, sine ulla sede vaga, parum congruebant. Cum multos post annos magister scientiam auxerit et puerorum erudiendorum peritus fuerit factus, oportet haud irrita sit illa rerum prudentia; qua de causa tuta esse debet magistrorum condicio, qui dummodo rem bene gerant, plus quam per dimidiam partem vitae officio impendent.

Magistri autem ab omni « Collegiorum auctoritate [1] » liberi erunt, neque munus aliud exercebunt. Praeterea annuum sumptum talem accipient, ut dignitatem et decus tueri possint, et honesta missione mittentur qui quindecim annos pueros edocuerint; et, publice accepta mercede, publicum ministerium exercere existimabuntur. Quin immo qui doctrina vel sollertia excellent, in illas, quae *secundariae* [2] dicuntur, scholas vel in *Instituta* [3] vocari poterunt; sic et secundariae scholae utilitatem ex eorum scientia capient, et ipsi spe proficiendi ad aemulationis studium provocabuntur; ceterum, edocti ipsi in illis scholis, quae quodam modo nostris secundariis Gymnasiis sunt similia, merito in illas ut magistri reverti poterunt.

At Condorcet, si quidem praevidet minime facile fore, tot magistros tam doctos et bonos extemplo reperire, nihilominus postulat ut adhibeantur qui

1. « Libres de toute attache corporative. »
2. Écoles secondaires.
3. Instituts.

inter eos optimi praesto sint futuri, atque ut inter tot homines habeatur delectus, qui post eversum rerum priscum statum otiosi remanserunt [1]. Quibus dabuntur « elementarii » libri, quos tantum legere atque explanare debeant. Omnes autem qui Novis Rebus studerent ejus modi libris maxime sunt confisi.

§ 6. — Quomodo nominandi sint magistri.

Inter peritos homines illos et ludi magistros Condorcet vult quasi interjici, ut antea proposuerat Talleyrand, proprium quoddam concilium, et *studiorum inspectores* [2]. At inspectores illos non in urbe Capite, ex qua nullo modo, nisi perraro exire possent, ita ut fere nunquam provinciarum scholas inspicerent, — sed in departimentorum aut districtorum Capitulis collocat. Inspectores autem illi res scholares neque regent neque ministrabunt; ad id tantum consulent, « ut instituta serventur [3] » atque ut in locum eorum, qui aut desint, aut aegrotent, magistrorum,

1. « Si les livres élémentaires sont bien faits; si l'on en fait de particuliers pour les instituteurs, où la méthode d'instruire soit développée; en fermant les écoles primaires et secondaires pendant un mois dans les premières années; en appelant les maîtres pendant cet espace de temps dans les villes où se trouvent les instituts, pour y suivre un cours où la méthode d'instruire leur serait enseignée, où les livres élémentaires leur seraient expliqués, on parviendrait bientôt à rendre ces premiers instituteurs capables de remplir leurs fonctions. » (*Id.*, p. 567.)

2. Bureau technique, Inspecteurs d'études.

3. « Veiller sur l'exécution des règlements. »

alii succedant. Hoc vero animadvertendum est, maximum ab illo ita tribui momentum officio inspectoris. Nam in locum absentium magistrorum alios collocare, fere magistros nominare valet, quod quidem communia postea aut comprobare, aut improbare poterunt, at re vera fere semper comprobabunt. Inspectores autem non, ut petierat Talleyrand, e summa pendebunt administratione, sed a doctorum Societatibus, inter illos qui Societati adscripti sint, designabuntur.

Accuratissime autem Condorcet requirit quo modo et optime electuri sint magistri, et eorum sollertia cum locis congruere possit. Primum autem sollertia eorum, qui pueros docere debent, profecto exploranda est : nam magister alios ea tantum docere potest, quae ipse penitus didicerit, qua de causa, ut perpendantur candidati, oportet, ut plane ostendit Condorcet, a peritis viris ad id designatis diligenter interrogentur. Qui, in doctorum virorum societate electi, conabuntur ut inter candidatos eos eligant, qui magistri, ac tantum magistri, esse possint. His prioribus judicibus fides magna est adhibenda « cum maxime ab illis sit provocatio, neque ulla gratia judicent [1] ». Sed, ut inter omnes illos sollertes homines ii eligantur, qui idonei sint vacuis officiis, necessario

1. « Précisément parce qu'ils ne sont pas décisifs et qu'ils ne renferment pas une préférence personnelle. »

Condorcet inquirere debuit, num instituendum esset *certamen* [1].quia in multis Codicibus certamen illud postulabatur. Quod sine dubitatione improbat, ut quod non omnia provideat, neque praesertim ullo modo de magistris judicet, nisi tanquam in unum punctum, aut in proprium officium; quod a primaria disciplina maxime abhorreat; cum certamine discerni non possit, num probi aeque ac sollertes sint magistri; quam virtutem nemo, nisi pauci atque accommodati viri possint agnoscere.

Hoc denique unum requirendum est, utrum patribus familiarum an administrationi designatae, id est inspectoribus, vel doctorum virorum Societatibus eligendi sint magistri. Primum quidem, ante omnia jus patrum familiarum observandum esse censet Condorcet; at quo modo qui in vico incolunt inter centum, vel plures departimenti magistros quemquam eligere poterunt. Quare si necopinato eguerint magistro vici incolae, ab inspectore interim nominabitur magister. Utique autem, qui in Instituto Departimenti [2] discipulos docent patribusfamiliarum proponent tres eligendos magistros, quorum unum poterunt nominare [3].

1. « Concours » demandé par les « Cahiers ».
2. Professeurs de l'Institut de département ou d'arrondissement.
3. Condorcet dubitavit, quanam ratione illi proponendi essent; primum enim inspectori, deinde autem, decretorio proposito, magistros proponendos tribuit Instituti professoribus, quos pueriliter huic officio delegat, harmonica quadam ratione.

Magister vero in certum tempus designabitur; et postea denuo eligendus erit; quod quam simplicissime efficietur; quia tunc satis notus erit patribus familiarum, qui decernere debebunt « utrum conservandus[1] », an ab officio amovendus erit, qui si iterum non fuerit electus, aut si ipsi displiceat locus, alibi officium aliud requirat. Animadvertas autem illum non a Concilio Municipii eligi, quod, de rebus communibus vel quae ad civitatem spectent electum, huic subtili rei parum aptum est. Quamvis, ut *Majoriae Scriba*[2], plurimum valeat, et bene aut male de rebus Civitatis sentiat, haec magistro neque commodo, neque incommodo esse debent. Si a Concilio Municipii nominaretur *Majori*[3] obnoxius postea fieret; patrumfamiliarum vero suffragiis electus, parentibus videtur futurus esse gratus, atque ab illorum[4] auctoritate quibus antea inserviebat, omnino demum erit liber. Nam, extra eos qui in Communi politicas agunt partes, locum habet suum, in quem ab iisdem, qui illos nominaverunt, est collocatus. Quam rationem Condorcet qui magistros ab omnium dominatione liberos esse volebat, omnino perfectam esse judicabat.

1. « Conservé dans la même place. »
2. Secrétaire de mairie, greffier communal.
3. Maire.
4. Id est prebyteri, Municipii, subdelegati, domini atque ejus ballivi, etc.

§ 7. — Quomodo magistri ab officio amoveri possint.

Denique, efficiendum erat, ne unquam, nisi legitimis de causis, amoverentur magistri. Etenim, ut antea Talleyrand, Condorcet intelligit ut obnoxii invidiae sint magistri. Nam, qui apud patres familiarum et scientia, et vi mentis atque animi et beneficiis jam actis plurimum valeat, invidorum et ambitiosorum odio objicietur. Praeterea, qui in civitate potentiam tenebunt, sibi illum conjungere cupient, quo diutius potestate fruantur; quibus si ille annuat ex officio quasi egredietur; sin minus, in sese vertet odium eorum, qui conabuntur ut alter in ejus locum sufficiatur. Requiritur autem ut fractis inimicorum, magistri confirmatis animis, hic quasi in perpetuum officio fungatur, dummodo res bene gerat. Quomodo vero tanquam sacerdotium illud in mores puerorum exercere posset, nisi pace animi atque otio frueretur? Nonne illius doctrina atque mores quasi sapientis qui supra vanas fluctuationes istas emineat debent apparere? Quod otium, quam animi indulgentiam, quod mentis quasi robur, quae Condorcet in magistro requirenda censet, oportet efficiant omnes ut ea magister servare possit. « Ordinis amotio, ut ait ille, est vere poena, atque ut poena legibus moderanda est, quia in utraque necesse est confirmetur judicii

aequitas [1]. » Primum ergo peti non poterit ut magister quisquam amoveatur, nisi ab Inspectore aut a *Procuratore Syndico* [2]; neque ille prius amovebitur quam assentiantur judices [3] de illis, qui doctorum virorum Societati adscribantur, et uniuscujusque ordinis magistri sumpti cui tribunali praeerit qui praesidet Departimento. Condorcet vero et Studiorum Inspectores in tuto esse vult, qui amoveri non poterant, nisi fere eodem judicio, et rogante Procuratore Syndico Districti aut Departimenti. Eodem modo autem ac Talleyrand, sensit necesse esse illos viros a rerum publicarum temeritate defendi, quamobrem scholis et magistris quasi triplex munimentum circumdat quo repugnentur omnium et superstitionibus et cupiditatibus.

1. « La destitution est un véritable jugement pénal, et doit être soumise aux mêmes principes que ces jugements, parce qu'il y a a même nécessité d'assurer l'impartialité personnelle. »

2. Districti administrator.

3. « Quant à la destitution des maitres et des instituteurs, elle ne doit avoir lieu que pour des causes graves et déterminées par la loi. Il paraît que l'on doit réserver à l'inspecteur des études et au procureur-syndic le droit de la demander; elle doit être prononcée par un jury, où le président du département ferait les fonctions de directeur du jugement et dont les membres seraient pris parmi ceux de la compagnie savante et les maitres des différents ordres. Quant aux inspecteurs d'études, on suivrait les mêmes principes, à la seule différence que la destitution ne pourrait être demandée que par le procureur-syndic du district ou celui du département. » Condorcet, VII, 313.)

CAPUT II

QUIBUS DE REBUS PRIMO IN CONVENTIONE SIT DISPUTATUM

§ 1. — Legati (qui ad dexteram sedebant) non approbant Societatem scientiarum atque artium esse creandam.

Mea quidem sententia, operae pretium erat, quae rogavisset Condorcet, enodatius explicari, nam, quanquam a Concilio Legislativo non publice in medium vocata sunt, videbimus tamen non relicta esse, sed primo statim tempore a Conventione iterum esse sumpta.

Conventio enim diligentius etiam, quam antea Concilium Legislativum, de publica eruditione ac praecipue de primaria institutione laboravit. Nam, secundo Octobris die, Coetum [1] creavit quattuor et viginti delegatorum, in quo et eos reperimus qui summi in superiore Coetu fuerant, et novos qui non minus erant

1. Comité de l'Instruction publique.

egregii, ut Prieur, Arbogast, Chénier, Romme, Lanthenas, David, Durand-Maillane, ac paulo post Lakanal, etc. Peculiari decreto Coetui sunt adscripti Condorcet et Sieyès et, quanquam aliorum erant Conciliorum, illis jus datum est in illo sedendi, quamvis postea vel multi in Coetu mutarentur. Quo in Coetu plerique *Girondini* [1] aut *Montani* [2] sunt, sed hi plures sunt, quam in Coetu superiore. Ita ergo multum valebat sententia Condorcet cujus relatio, Aprili mense edita, operis Coetus fuit quasi fundamentum; quae relatio fere omnino approbata est, a vicesimo Octobris, ad quartum decimum Novembris diem. Ceterum maturato opus erat, quia Conventio, qua diligentius Concilium nunquam aliud fuit, magnopere sollicitabat ut quam citissime sibi traderetur propositum de publica educatione.

Denique duodecimo Decembris die, Chénier, de collegarum sententia, quae conscripta erant a Coetu ante Conventionem recitavit. Qui pronis animis est auditus, neque sine favore, praesertim, eorum qui sinistra sedebant. Etenim illud propositum perfectum opus erat, et quod plerisque in hoc conventu sedentibus valde placeret. Nam, institutionem in omnes profundi, et laicis tantum committi, et minime illis,

1. « Girondins. »
2. « Montagnards. »

qui in rebus publicis versentur, esse obnoxiam, quae Conventioni jucundiora esse possent? At qui dextra vel in media parte sedebant [1], vehementer irati sunt; qua de causa summi oratores extemplo ad dicendum venerunt, ne statim ad propositum plerique consentirent. Quin immo Durand-Maillane, qui in inferioribus sedibus aderat, cum fortasse quidem aegre ferret quae in proposito Clericis parum faverent, sed intelligeret necesse esse vituperaret propositum de causis, a quibus minus abhorrerent delegati, maxima incurrit vehementia in Publicam Societatem; qua creata, crearetur in civitate vel potius in civitatem formidolosum Collegium quod Rei publicae maximo periculo futurum esset, quia scholarum potentia illis committeretur qui jam auctoritate scientiae in populum dominari possent. Attamen non dixit cui potentiam illam tradi vellet, quam libenter regi et Clericis sane dedisset; itaque parum benigne audita est ejus oratio.

Mazuyer infelicius etiam processit, qui miro quodam modo dixit sese laedi quod Condorcet omnia nimis sub unam eamdemque potentiam redigere vellet [2]; illi ut monstrum apparebat ista Publica Societas, quae

1. Députés de la Droite.

2. Etiamnunc utimur verbis « quae proposuerat Condorcet », quanquam in primo proposito nonnulla mutaverat Coetus; inter quae inprimis notandum est a Coetu petitum esse ut eligeretur Publica Societas simul et a Communibus et a Departimenti Conciliis. Licet autem videas quae Mazuyer vituperavit minus Coetus quam Condorceti esse.

super res cunctas scholarum emineret; quae esse quasi tyrannorum potestas, vel litterarum sacerdotium ut antiquitus Memphiticorum sacerdotum collegium. Quae quidem in rogatione reprehendebantur ea minus probanda erant; sed, quamvis vehementer atque inflatius carperentur, cum argumenta minus ad rem valerent, caput primum propositi primo statim concilio decretum est. Praeterea oratores qui sinistra aderant [1], acerbis verbis in illum invecti sunt, negaruntque locum quemquam in scholis Clericis esse relinquendum, ne « foedaretur Publica Educatio superstitionibus [2] ». At nemo pro Societate disseruit. Etenim omnes mirum aliquid atque insolitum esse in hac institutione intelligebant, etsi qua de causa ignorarent, aut quid in ejus locum substituendum esset, nescirent.

§ 2. — Coetus, Romme legem ferente, sentit futuram publicam Societatem esse differendam.

Quae intellexit Coetus; itaque, ne et ipsi eadem intelligerent qui contra propositum dixerant, noluit Societatem toti proposito esse perniciei et statuit ut relator [3] eam tunc quidem omitteret ac tantum ageret ut a Conventione comprobaretur Magistros a politica

1. Dupont, Ducos, Lequinio.
2. « Souiller l'instruction publique avec les préjugés du fanatisme. »
3. Le Rapporteur.

potestate esse liberandos. Ac fortasse decretum esset totum propositum, nisi Lanthenas, bono quidem animo petiisset ut iterum de universo proposito disputaretur (duodevicesimo Decembris die). Quod profecto nonnullis diebus decretum moratum est. Tunc Romme denuo de collegarum sententia egit, brevius quam antea, atque adeo nitide et composite, ut omnibus incuteret mirationem. Petebat et ipse ut a magistris viam ingredientibus expostularetur testimonium de sollertia a « doctis viris [1] » datum; at scientiae cum minus quam Condorcet confideret, testimonio illi aliud jungi volebat, quo qui in municipiis primi essent, affirmarent magistrum bonum esse civem [2]. Nullus quidem tunc intellexit quanti esset illa rogatio, quae in Municipiis vel ignaris aut studiosis hominibus tantam datura esset potentiam; qua de causa, cum semel, ut Romme proposuerat, ab omnibus est approbata, eodem modo firma est ducta, atque testimonium de sollertia, aut patribusfamiliarum jus suffragii traditum. His vero, ut par erat, Romme jus suffragii supremum committebat, ac simul Societatem publicam, ut convenerat, omittebat. « De magistris autem et ab administratione, et a civi-

1. Hommes éclairés.
2. Certificat de civisme attesté par les municipalités. Vide Appendicem, p. 130 et 131.

tate liberandis [1] » haud minus egregia dixit, omnibus faventibus quam ipse Condorcet. « Juris publici est magistros esse liberos [2] », exclamavit.... « Nam non administrationis est profundere lumen. Quo iis commisso, qui magna quidem, sed a scientiis artibusque aliena, curent, summum humani animi jus violatum erit... Magna quidem auctoritas iis est tradenda, qui in civitate versantur » (neque enim unquam plus potuerunt quam regente Conventione) [3] « at non tanta ut publicae opinionis arbitri fiant ». Conatus ergo est ut ea quae et ad instrumenta et ad aedificia et ad disciplinam pertinent, ab his accurate discerneret quae ad eruditionem tantum pertinerent, quae ad solos magistros spectare deberent.

Sed diutius de universo proposito disputabatur, ut voluerat adeo praepostere Lanthenas, quem quidam

1. « L'indépendance de l'enseignement, tant des corps administratifs que du pouvoir exécutif. »

2. « L'indépendance de l'enseignement est un droit national... La propagation de la lumière n'est point objet d'administration. La livrer à des autorités occupées de grands intérêts, mais étrangères aux arts et aux sciences, ce serait violer le plus beau droit de l'esprit humain... Le pouvoir exécutif doit avoir une très grande autorité, mais il ne doit pas diriger à son gré l'opinion publique. »

3. « Publica eruditio conciliis inspicienda erit de omnibus rebus quae sint aut civilis pacis ac disciplinae, aut regendarum rerum publicarum. Puerorum autem disciplina proprio modo inspicietur quae postea, simul ac totius administrationis custodia, explicabuntur. » (*Romme propositum*, Cap. VIII.)

« L'instruction publique sera soumise à la surveillance des corps constitués pour tout ce qui tient à l'ordre public et à l'administration des propriétés nationales. L'enseignement sera soumis à une surveillance distincte dont le mode sera présenté avec l'organisation générale. » (Projet de Romme, art. 8.)

ipsum postea rogationis poenituit. Quarto enim et vicesimo Decembris die, diu egit Bancal; qui audientium animos detinuit, eademque proposuit quae antea Romme et Condorcet. Sed et ipse doctorum hominum Societates minus probavit, ne, ut antea *fabrorum collegia* [1], omnibus periculosae essent.

Cum ab omnibus Societates ita reformidarentur, Condorcet pro illis scripsit in Chronicis Januarii MDCCLXXXXIII [2]; negans civitati illas periculo esse; attamen confessus est se ob id maxime voluisse ut illis regendae scholae committerentur, ne regis auctoritas in scholis nimia esset. Rege tunc sublato, nonnulla in proposito « haud sine utilitate commutari [3] » posse. Serius autem illa concedebantur. Tunc enim Conventio gravissima et intus et exterius curare debebat [4]; itaque, quamvis Institutionis Publicae studiosissima esset, cum Marat nimis aspere rogasset ut de aliis rebus disputaretur, ita factum est.

§ 3. — Sieyès proponebat nequidquam a magistratibus, ex duobus originibus creatis, scholas regendas esse.

Nihilominus decretum est ut publicam eruditionem septenis saltem diebus curaret Conventio. Coetus

1. Corporations.
2. Chroniques de janvier 1793.
3. « On pouvait faire des changements utiles. »
4. Actio in Ludovicum XVI. — Bellum universum.

autem, ut antea, illis rebus diligentissime operam intendit. At certamen illud inter *Girondinos* et *Montanos*, et quae Maio mense evenerunt, maximi fuerunt momenti cum ad Rei publicae constitutionem, tum ad Coetus opera. Variis autem de causis, Condorcet, Romme, Bancal et Rabaut-Saint-Étienne, a Coetu sunt semoti, in quo tunc plurimum valuerunt Montani, vel potius qui in *Planitie*[1] sedebant, Sieyès et Daunou. Multa igitur penitus sunt commutata in Concilio; nam quae sexto vicesimo Junii die Lakanal Conventioni proposuit inaudita erant ut ea Sieyès composuisset.

Administrandas scholas Inspectoribus simul, et Districti magistratibus committi volebat, quanquam providebat inter illos contentiones futuras esse. Ceterum, illi his erant obnoxii, ut qui ab his nominarentur; qui gravem accipiebant potestatem, cum magistros de sollertia interrogare eosdem nominare aut ab officio amovere deberent. Quae potentia a solo Districti Concilio pensari poterat; atque si controversia accideret, omnia componenda erant Coetui quem Concilium Legislativum nominaret. Ita Sieyès negabat patribusfamiliarum eligendos esse magistros, quos iterum iis, qui in civitate versabantur, submittebat. Adde quod interrogationes de sollertia

1. « La Plaine. »

et ipsam nominationem permiscebat, cautionesque negligebat illas, quas Condorcet diligentissime instituerat pro magistris. Simul autem quae ab illo vituperatione dignissima erant proposita et ipse iterum proposuit, ut Maximum Concilium [1], quod partim cooptatione constitueretur, et deterius quidem constituebatur, cum in illo non scientiae, sed civitatis utilitates curarentur. Quamobrem haud longa disputatione apparuit quae Sieyès proponebat eadem incommoda, non eadem commoda praebere, ac quae proposuerat Condorcet; qua de causa sunt relicta. Immo vero in tempus repositus est Coetus ille de publica institutione creatus, et sex curatores [2] jussi sunt ante octavum diem novum propositum recitare de publica educatione.

Multos menses in Concilio actum est de pueris spartiatarum instar, id est communiter educandis; itaque diu est disputatum, donec fere omnibus probarentur quae censebant Lepelletier de Saint-Fargeau et Robespierre. At re vera disputationibus illis nihil actum est, nisi ut in longius morarentur temperationem publicae eruditionis. Valde tamen urgebat necessitas, postquam sublata erat Clericorum potentia, neque ulli legitime commissa erant haec officia tem-

1. Commission centrale.
2. Commissaires spéciaux.

peranda. Quare nonnulla Communia sponte haec curaverunt atque ipsa sibi magistros ad libitum elegerunt. Alia autem magistrorum mercedem sibi conservaverunt, ita ut in multis vicis pueri nullo modo erudirentur. Tum autem Lakanal, nono Septembris die, Concilio decretum probavit, ut, quoad absolute componeretur publica educatio, quae Collegia civitatem administrabant magistros in eorum locum nominarent, « qui post annum MDCCLXXXIX haud semper pueros docuissent Novarum Rerum disciplinam [1] ».

1. « Ceux des instituteurs publics qui n'ont pas constamment professé, depuis 1789, les principes de la Révolution. »

CAPUT III

CUM ET DOMI ET MILITIAE MULTA ET GRAVISSIMA IN GALLIA ILLIS TEMPORIBUS ESSENT, INSOLITA QUADAM RATIONE NOMINATI SUNT MAGISTRI.

§ 1. — In summa repudiantur quae proposuit Condorcet.

Concilium [1] de Institutione Publica creatum partes suas peregit usque ad sextum Octobris diem; tunc autem Coetus in quo nonnulli ac nonnulla erant immutata, denuo habitus est. Romme autem in utroque sedit, quippe qui et operibus et sollertia in primis commendaretur. Etenim maxima valuit auctoritate apud collegas, postquam minus placuerant quae proposuerant Lepelletier et Robespierre. Itaque relator creatus, primo Octobris die, propositum rettulit ad Concilium quod sexto ante mense paratum erat, et diebus sequentibus inter disputationes servare conatus est.

1. Commission spéciale.

Denique, tricesimo Vendemiarii mensis die anni II (xxi° die Octobris MDCCLXXXXIII) obtinuit ut declarationibus tricesimo Maii et quintedecimo Augusti die factis adscriberentur ferme duodecim capita, quibus omnia constituerentur de scholis et creandis et disponendis, et administrandis. Septimo autem Brumarii die, rogante eodem, decretum est de nominatione et mercede magistrorum : « Collegia virorum doctissimorum et patriae amore simul ac virtute praeclarorum [1] », in omnibus Districtis a Directoriis creata, maxima ornabantur potentia ad publicam institutionem, de sollertia magistros interrogabant atque illos inscribebant inter quos patresfamiliarum magistros eligere possent [2].

1. « Commission d'hommes éclairés et recommandables par leur patriotisme et leurs bonnes mœurs. »

2. Il est établi, par district, une commission composée d'hommes éclairés et recommandables par leur patriotisme et leurs bonnes mœurs.

Cette commission s'occupe : 1° du placement des écoles dont l'arrondissement embrasse plusieurs communes : elle se concerte à cet effet avec le directoire du district; 2° de l'emplacement des maisons d'enseignement dans les communes qui doivent en avoir, en se conformant à l'instruction annexée à la minute du présent décret et en se concertant avec les conseils généraux des communes; 3° de l'examen des citoyens qui se présentent pour se dévouer à l'éducation nationale dans les premières écoles. 4° Chaque conseil général de commune envoie au directoire de son district, dans la décade courante, à compter de la réception du présent décret, une liste de cinq citoyens, après avoir consulté pour chacun d'eux le comité de surveillance du lieu, ou le plus voisin du lieu, s'il est encore en exercice, pour attester leur patriotisme et leurs bonnes mœurs.

13. La commission appelle les citoyens inscrits.

14. La commission examine publiquement les connaissances de

Verbo quidem perpauca mutata erant in proposito Maii mensis, cum maneret *Collegium scholare* [1] in omnibus Districtis et patribusfamiliarum adhuc eligendi essent magistri; re autem vera, studia rerum publicarum furtim immixta sunt scholis administrandis a quibus maxima diligentia Condorcet ea exterminare voluerat. Namque in vicis Collegiis [2] commissus erat index recognoscendus eorum, qui vel in *Districto Legati* [3] (§ 4) vel magistri (§ 10) fieri volebant, ut « eos qui adscripti erant amantes patriae et virtutis, esse affirmarent [4] »; id est Collegium hominum qui neque ulli rationem deberent, neque ulla potestate legitima essent praediti, in omnibus aut Districtis aut Communibus suo arbitrio regebat magistros. Ita Jacobini, qui tunc rerum potiti erant, pro se eadem tentabant quae antea Ludovicus XIV et Clerici. Quod quidem excusatione dignum erat, quia tunc insolito quodam modo res sese habebant; etenim cum Civitas sese tueretur adversus rebellionem for-

l'individu, son aptitude à enseigner, ses mœurs et son patriotisme : elle est dirigée, dans cet examen, par une instruction faite par le comité d'instruction publique et approuvée par la Convention nationale.

15. Après avoir terminé ces examens, la commission proclame la liste de tous ceux qu'elle juge propres à remplir les fonctions d'instituteur.

1. Commission scolaire.
2. Comités locaux de surveillance.
3. Commissaire scolaire de district.
4. Attester le patriotisme et les bonnes mœurs de ceux qui sont inscrits.

midandam; fieri poterat ut omnes censerent nulli, nisi amico, danda esse publica officia. Namque, sine dubio, Romme, qui eadem atque Condorcet curaverat, ultro confessus esset futurum ut illa Collegiorum dictatura, pace recreata, statim supprimeretur.

Praeterea obtinuit ut decerneretur ne « qui antea fuissent nobiles, aut Clerici, aut relligionum ministri[1] » magistri eligi possent, neve liceret magistris quicquam nisi in ipsa schola docere.

Oportebat tamen ut quae Octobri mense decreta erant ordinarentur ac corrigerentur, ut fieret tandem maxima illa lex, quam omnes jamdudum de publica institutione exspectabant; quod opus erat facilius, ut quod nihil nisi parva et parvi momenti attingeret. At tunc demum, cum jam in eo esset ut victoria poteretur, sui eum hostes opperiebantur, ut astute totum propositum penitus everterent. Non contigit ut nobis traderentur quae orationes habitae sint in memorandis illis conciliis, septimo ac nono Brumarii die; quamobrem haud scimus an qui illi adversabantur sincera primum disputatione vincere sint conati. Postremo autem petierant ut de proposito corrigenda committerentur peculiari Collegio; et statim plerique quasi laqueo sunt capti. Novum autem illud Colle-

1. « Les ci-devant nobles, ecclésiastiques ou ministres d'un culte quelconque. »

gium, cum plura facere debuisset, admodum nihil fecit; ita ut postquam post mensem omnia correxerat, jam aliud propositum ortum esset, quod omnino contrarium erat, iis quae defenderant Condorcet, Lakanal, Lanthenas et Romme.

§ 2. — Bouquier rogatio approbatur. Quae sint decreta, nono vicesimo Frimarii die anni II.

Qui novi propositi auctor fuerat Collegio ipse adscriptus erat. Quod jam recitaturus declaravit a multis collegis probatum esse; licere Conventio eligeret inter illa, quae ipse, et quae Romme proposuisset. Sed ante deliberationem quae censebat Bouquier vehementer a Jacobinis probata sunt, quod tunc in spe optima poni poterat.

Bouquier autem iis, quibus dederant et Condorcet, et post illum ceteri potentiam eximit, et de sollertia interrogationes tollit et negat patribusfamiliarum eligendos esse magistros. « Sint omnes liberi atque aequo jure », ut clamat ille magno omnium favore. Pavent et qui in media vel dextera parte sedent quia adhuc horror quasi subit animos eorum, quoties recordantur quot quantaque sibi Romme sit minatus; illos, qui antea fuissent nobiles, aut Clericos, aut relligionum ministros eligi magistros non posse; nunc vero, jam quasi ante oculos habebant a Clericis suis

scholas « liberas » administratas, in quibus doceretur Catechismus.

At, si recitantem diligentius attendissent, vidissent quam late pateret lex illa, qua nulla unquam fuit impotentior. Reapse enim perpaucis tribuebatur quod verbo omnibus dabatur jus docendi, cum et testimonio illo pietatis in patriam omnes magistri obnoxii fierent illi « conventiculo [1] », quod maxime in vico turbulentum esset, — et, non solum magistratibus vel patribusfamiliarum, sed etiam cunctis civibus observatis, id est ad delationem incitatis, quis ex civibus nullam se querelam habere crederet? Tunc etiam quomodo scholae observari deberent? Num cuivis scholae inspiciendae patebunt? Adde quod certi libri publice discipulis imponebantur. Codices quidem, anno MDCCLXXXIX, et postea quicumque in Novis Rebus sunt versati, petierant callidiores magistros, et libros a peritis viris compositos; et ipse Condorcet, si Manualibus [2] vim optimam inesse credidit, satius tamen esse duxit, magistros quam maxima eligendos esse diligentia; Bouquier vero censet facilius Manualia quam Magistros repertum iri, et libro quodam imposito certius ac commodius sic formatum iri puerorum animos, ut civitatis utilitas desiderat. Nunc

1. « Club. »
2. Manuels d'enseignement.

igitur, dum quaeritur ut puerorum mentes perdomentur, ipsa liberorum institutio longius relegatur; etenim praecipue oportet informentur qui vere « Sans-Culottes » vocentur, atque Rationem et supremam Naturam ardente pietatis colant affectu [1].

Section I.

ARTICLE I. — L'enseignement est libre.

ART. II. — Il sera fait publiquement.

ART. III. — Les citoyens et citoyennes qui voudront user de la liberté d'enseigner seront tenus : 1° de déclarer à la municipalité ou section de la commune, qu'ils sont dans l'intention d'ouvrir une école; 2° de désigner l'espèce de science ou art qu'ils se proposent d'enseigner; 3° de produire un certificat de civisme et de bonnes mœurs, signé de la moitié des membres du conseil général de la commune ou de la section du lieu de leur résidence, et par deux membres, au moins, du comité de surveillance de la section ou du lieu de leur domicile ou du lieu qui en est le plus voisin.

Section II.

ARTICLE I. — Les instituteurs et institutrices sont sous la surveillance immédiate de la municipalité ou section des pères, mères, tuteurs ou curateurs, et sous la surveillance de tous les citoyens.

ART. II. — Tout instituteur ou institutrice qui enseignerait dans son école des préceptes ou maximes contraires aux lois ou à la morale républicaine, sera dénoncé par la surveillance et puni selon la gravité du délit.

ART. III. — Tout instituteur ou institutrice qui outrage les mœurs publiques est dénoncé par la surveillance et traduit devant la police correctionnelle ou tout autre tribunal compétent, pour y être jugé suivant la loi.

Sic enim Bouquier explicat propositum suum : « utilissimae populo scholae sunt comitia Departi-

1. Vide Appendicem, p. 130, 131.

mentorum, Districtorum, Municipiorum ac praecipue Popularium Societatum [1] ». Cum in omnibus Communibus vel unam ejus modi Societatem creaverint, ii qui Rerum Novarum amantes sese praestiterunt, « ultro quasi constituta est publica institutio, atque ubique collocatus est quasi fons, unde semper scientia hauriatur. Igitur in illorum institutorum locum ne quid subjiciamus... fictum ad exemplar Academiarum, quae nunc jam populum vere restitutum non debent infuscare [2] ». Cum « Populares Societates » ante omnia eae sint, quae mores emendent, quid mirum, si tota fruuntur potentia in scholis et in magistris, quos ex officio emovere aut custodire atque observare possunt?

Fourcroy vero ille, qui postea Imperatore regnante Universitatem constituit, in Collegia docentium hominum egit orationem; quin immo Thibaudeau quae prius fuerant proposita, acerbissimis verbis insectatus est, ut quae « minus lucem veritatis quam inscitiam, errores et superstitiones effunderent. Etenim in primis ad pueros instituendos spectare eos, qui civitatis

1. « Les écoles les plus utiles pour le peuple sont les séances des départements, des districts, des municipalités et surtout des sociétés populaires. »

2. « La Révolution a pour ainsi dire d'elle-même organisé l'éducation publique et placé partout des sources inépuisables d'instruction. N'allons donc pas substituer à cette organisation... une organisation factice et calquée sur des statuts académiques, qui ne doivent plus infecter une nation régénérée. »

partem quamdam tenerent, ita ut quasi Clericorum novum ordinem crearent Condorcet, Lakanal, Romme, qui funestior etiam futurus esset, quam illi superstitionis ministri... Omnia igitur quasi momento libertatis atque honestae certationis esse committenda, timendum vero ne ingeniorum vis (!) angustioribus praescriptionibus opprimatur, aut illorum impetus comprimatur, si collegiis subjiciantur plagosorum magistrorum quorum manibus traderetur judicii atque mentis praerogativa, regendusque animorum impetus, et publicae rationis emendatio [1]. »

Michael Edme Petit quae Bouquier proponebat deridere conatus est, quibus si favissent non tantum « ineptis plerumque magistris usuri essent, sed etiam in duobus vicorum partibus nullus [2] magister fieret », at imperite egit.

Denique Romme ad dicendum prodiit, ac jam gra-

1. « Plus propres à propager l'ignorance, l'erreur et les préjugés, qu'à répandre les lumières et la vérité. C'est un gouvernement pédagogique que l'on veut (— Condorcet, Lakanal, Romme —) fonder dans un gouvernement républicain, une nouvelle espèce de clergé, qui remplacerait d'une manière plus funeste encore les ministres de la superstition... Abandonnez tout à l'influence salutaire de la liberté, à l'émulation et à la concurrence; craignez d'étouffer l'effort du génie (!) par des règlements, ou d'en ralentir les progrès en le mettant pour ainsi dire en tutelle, sous la férule d'une corporation de pédagogues, à qui vous auriez donné le privilège exclusif de la pensée, la régie de l'esprit humain, l'entreprise du perfectionnement de la raison nationale. » Oratio habita in Conventione, XIX° Frimarii die.

2. « Qui ne donnerait que de mauvais maîtres ou point de maîtres du tout dans les deux tiers des villages. »

viter quasi concussus esset visus est. Sed iis qui contra eum erant, ansas dedit; neque enim ostendit quot quantaque in illis, quae proposuerat Bouquier, inter se discreparent aut vitiosum quid haberent, at suum ipsius propositum adeo languide defendit, ut jam tunc appareret illi rem desperatam esse.

Interea magis ac magis in sese omnium oculos Bouquier convertebat. Itaque xxvi° Frimarii die, praeses a Jacobinis nominatus est, et xxix° die (xix° Decembris die MDCCLXXXXIII) fere omnibus probatum est ejus propositum. Quicumque dextra aut in inferiore parte sedebant propositum decreverunt, quia « Jacobinos » qui Deum esse credebant magis quam « Girondinos » qui philosophorum habebant disciplinam, sequebantur satiusque ducebant Civitatem vel « sectam » quamdam imperio omnia tenere, quam affirmatam legibusque servatam docentium libertatem, sive timide illis, quibus praeerat Robespierre, obedientes, sive sperantes sese postea usuros esse illo telo acerrimo. Qui in superioribus sedibus aderant tunc quoque, ut solebant contenderunt ut summa rerum paucorum manibus committeretur : cum graviora imminerent illis temporibus, omnibus necessitudinibus Rei publicae commoda potiora habuere. Quare etsi queri quemquam licet, quod per aequa et iniqua haec tentaverint, quis tamen negare possit illos

maxima eademque utilissima proposuisse? Etenim, quia ante omnia necesse erat ut omnes inter se conjunctiores essent, persuasum habuerunt conjunctos fore omnes Gallos, si semel in manu sibi essent docendi pueri. Quin etiam ipsi sine dubitatione, quam legem ad libertatem augendam sese fecisse gloriabantur, perruperunt ubi id e re publica esse arbitrati sunt : namque auctore Barrère, XXVII° Januarii die, anno MDCCLXXXXIV, decreverunt ut in Britannia provincia atque in novem Departimentis sitis in finibus, in quibus parum intellegebant plerique Gallicam linguam, ab iis, qui quasi Civitatis personam gerebant, nominarentur magistris quo studiosiores fierent pueri Galliae atque Gallicae linguae. Eodem modo sine dubitatione vetuerunt ne quis pueros institueret nisi « Popularibus Societatibus » probaretur atque in eo erant ut Societatibus illis potestatem committerent ubicunque parum magistris confidebant.

§ 3. — Ad illa reditur, quae proposuerant Lakanal et Daunou. Lex tertio Brumarii die, anno IV, lata.

Interea tamen, — unde intelligas licet eos, si quae tunc necessaria essent, pernoscebant, nihilominus sentire quid de puerorum eruditione opus esset — contenderunt ut semper posthac bene componerentur

atque aptarentur magistri; quare, primo Junii die MDCCLXXXXIV, « Coetus Salutis Publicae » penes quem tunc erat potestas universa declaravit a sese institutum iri Lutetiae « scholam in qua informandi essent magistri[1] », qui postea omnibus Districtis attribuerentur. Atenim Coetus Salutis Publicae illa ad effectum adducere non potuit, propter ea quare nono Thermidoris die evenerunt; sed tunc restitutum est Concilium de Institutione publica creatum, quod statim opus interruptum iteravit.

Lakanal qui iterum relator nominatus erat, secundo Brumarii die a Conventione petiit atque impetravit ut Lutetiae crearetur *Schola Normalis*[2] donec in omnibus Departimentis ejusdem modi Scholae instituerentur, quo melioribus uteretur Respublica magistris[3]. Lakanal enim haud ignorabat, si magistrorum penuria esset, omnino inutiles fore leges de scholis latas, xxx° Octobris die suffragiis probatum est illud Decretum, quo abrogabatur lex, quam Bouquier proposuerat. Etenim, si publice parabantur magistri,

1. « Une école où se formeraient des instituteurs pour les disséminer ensuite dans tous les districts. »

2. École Normale.

3. Satis clarum est nihil profecisse quae primum creata est Schola Normalis, non quod propositum ipsum esset ineptum, sed propter tempestates illas, quae Galliam tunc urgebant, et postea in schola illa non magistros, sed gymnasiorum professores qui undique colligebantur neque aut ingenio aut educatione para bantur, esse informatos.

publice promittendum erat ut illis munus daretur. Quamobrem xxvi° et xxvii° Brumarii die, probata sunt quae denuo proponebat Lakanal; qui correxerat quae Junio mense anni MDCCLXXXXIII petierat; decretum ergo est ut magistri patribus familiarum postea eligendi, « interim ac donec novis rerum status penitus, firmatus esset interrogationibus inspicerentur, eligerentur ac custodirentur a tribus viris, quos nominaturi essent qui Districto praeessent [1] » (Cap. II, art. 1). Iterum igiturlegitima potestas scholis imponebatur; sed sequebantur quae Sieyès, magis quam quae Condorcet protulerat, et cum qui Districti res gerebant censura eos reprehendere possent qui jam magistri essent creati eadem denuo pericula impendebant atque cum primum Sieyès rogationem tulerat [2].

Vehementer autem de illa lege disputatum est quae

1. « Provisoirement et pendant la durée du gouvernement révolutionnaire, les maîtres seraient examinés, élus et surveillés par un jury composé de trois membres désignés par l'administration du district. »

2. Art. 1. — Les nominations des instituteurs et des institutrices élus par le jury d'instruction seront soumises à l'administration du district.

Art. 2. — Les plaintes contre les instituteurs et les institutrices seront portées directement au jury d'instruction.

Art. 5. — Lorsque la plainte sera en matière grave et après que l'accusé aura été entendu, si le jury juge qu'il y a lieu à destitution, sa décision sera portée au conseil général de l'administration du district, pour être confirmée.

Art. 6. — Si l'arrêté du conseil général n'est pas conforme à l'avis du jury, l'affaire sera portée au Comité d'instruction publique, qui prononcera définitivement.

mendosa erat, ac tantum ad tempus facta esse videbatur. Quin immo apparet multos hanc probavisse taedio, atque ut tandem ad effectum quemdam pervenirent. Quare Undecim viri ad id nominati ut opus Montanorum destruerent, haud difficile pervicerunt ut Conventio consilia mutaret. Boissy d'Anglas et Daunou novi propositi fautores fuerunt; a quibus modestissime auctores vindicati sunt « Talleyrand, Condorcet, multique alii scriptores », sine dubio Lanthenas, Lakanal, Romme, quod, ut aiunt, « eos solum omiserunt, qui, ut Robespierre, stolide tyrannidis sese studiosos praebuerunt [1] ».

Constat enim, ex illis quae Daunou protulit, atque ex decreto propterea facto, tertio Brumarii die, anno IV, illos persaepe eadem atque antea Talleyrand et Condorcet sensisse; at difficillimis temporibus et inopia rerum prohibiti sunt ne publice magistris mercedem solverent. Publice enim nihil nisi domicilium accipiebant, in quo et ipsi habitabant, et pueros docebant, a patribus autem quorum pueri instituebantur datum stipendium habebant. At, minus liberales quam qui ante anno MDCCLXXXXV res publicas temperaverant, quamquam patiebantur patres onus mercedis sustinere, non tamen siverunt ab iis eligi vel custodiri

1. « Ils n'ont laissé que les seuls Robespierristes à cause de leur tyrannie stupide. »

magistros; qui ab illis nominabantur qui in rebus publicis versabantur scilicet candidati a municipio traditi, postremo a Departimento accipiebantur. Quod quasi maximam injiciebat plagam illis, quae anno MDCCLXXXXII fuerant declarata; nam, jam iis qui mercedem solvebant, nominandi non erant magistri, at certe illis creandi erant, qui summam Rei publicae administrarent; in quibus nihil ad Departimenta pertinebat. Haec quidem munera diligenter discernebantur : magistros civibus quidem electis interrogandos esse, aliis autem esse nominandos; praeterea, magistri a munere amoveri non poterant, nisi certis de causis. Sed quia a Departimento eligebantur cives illi, Departimento erat summa in scholis potestas. Denique, lege illa, seditiosa et turbulenta simul ac tyrannica jus violabatur parentum, neque causam afferri poterat, qua iis anteponeretur summum Rei publicae commodum; apparet illam ab iis confectam esse, qui quo se verterent jam nescirent, cum in Conventione nulli satis positi animi viri superessent, qui, quae revera scholis utilia esse possent, omnibus demonstrarent, et qui, quamvis maxime contraria de publicis rebus sentirent, inter sese concederent, tantum quia parum sinceri essent [1].

1. Art. 2. — Il sera établi dans chaque département plusieurs jurys d'instruction; le nombre de ces jurys sera de six au plus, et

Haec una lex est quam Conventio decernere atque pro viribus suis admovere potuit; sed, post sex menses februario mense anni MDCCLXXXXVI cum validiores facti essent qui ad pristinum rerum statum omnia reducere voluissent, Dumolard quidam petiit ut lex omnino commutaretur, atque, iisdem armis usus, quibus destructa erant quae proposuerant Condorcet et Romme, petiit « ut Concilium opus universum faceret de publica institutione [1] ». Chenier vero respondit merito « antequam everterentur quae tunc essent, exspectandum prius esse donec ea firmius stabilirentur, quam fructus ex iis repeterentur [2] ». At *Dies* [3] et quae saepe in *Concilio Veterum* [4] et in *Concilio Quingentorum* [5] majorem partem commuta-

chacun sera composé de trois membres nommés par l'administration départementale.

Art. 3. — Les instituteurs primaires seront examinés par l'un des jurys d'instruction; et sur la présentation des administrations municipales, ils seront nommés par les administrations de département.

Art. 4. — Ils ne pourront être destitués que par le concours des mêmes administrations, de l'avis du jury d'instruction, et après avoir été entendus.

Art. 10. — Les règlements relatifs au régime des écoles primaires seront arrêtés par les administrations de département, et soumis à l'approbation du Directoire exécutif.

Art. 11. — Les administrations municipales surveilleront immédiatement les écoles primaires, et y maintiendront l'exécution des lois et des arrêtés des administrations supérieures.

1. « Qu'une commission s'occupât d'un travail général sur l'instruction publique. »

2. « Avant de détruire ce qui existe,... attendons que les institutions se soient assises et qu'elles aient pris racine pour en exiger d'heureux fruits. »

3. Les « Journées ».

4. Conseil des Anciens.

. Conseil des Cinq-Cents.

verunt, impedierunt ne alia lex promulgaretur; attamen disputationibus scire possumus, quae illi de rebus scholasticis sentirent. Apparet eos, qui Reipublicae amantes erant, adhuc censere magistros nullo modo esse obnoxios iis qui in publicis rebus versabantur. Hoc tantum notandum est, petitum esse ut nominarentur qui « primarias scholas » custodirent atque inspicerent; quos Dulaure *custodes* [1], Pison Dugalland *censores* [2], Bailleul *morum magistros* [3] vocat; et iis committendae erant interrogationes atque habendae contiones de pueris educandis. Ceterum, Condorcet fere eadem tribuebat iis, quos vocabat *studiorum inspectores*.

Denique antequam disputaretur, Conventio decreverat (Constitutio anni III, art. 16), juvenes « civicis codicibus [4] » adscribi non posse, nisi scirent litteras. Quin etiam xvii° Novembris die anno MDCCLXXXXVI a Directorio [5] decretum est ne quis publicum munus peteret, nisi testimonio confirmaret sese in Reipublicae scholis eruditum esse; postea autem, ut voluerant Dulaure, Bailleul, Pison Dugalland, in omnes Galliae partes multos misit qui publicas aut privatas scholas inspicerent (annis VI° et VII°).

1. Surveillants.
2. Censeurs.
3. Instituteurs de morale.
4. Registres civiques (inscrits sur les registres civiques).
5. Directoire.

LIBER TERTIUS

DE ADMINISTRATIONE

CAPUT I

QUOMODO LEGIBUS SCHOLARIBUS SINT USI RERUM NOVARUM FAUTORES

§ 1. — Primis Novarum Rerum annis a Communibus magistri noninantur, mercedemque accipiunt.

Si merito quidem miraris, quod rerum scriptores varia aestimatione perpenderint opus Conciliorum, quae illis temporibus sunt habita, id est instituta atque leges, cum certa monumenta et memorandas orationes possint consulere, intelleges profecto eos minime consentire, quotiescumque quid ex iis sit secutum, explorant, atque immo inter sese discrepare, cum exponunt quomodo scholarum res atque magistrorum se habuerint iis tempestatibus.

Pluribus enim controversiis illa implicantur, quae

in quinque vel sex millibus locorum requirere debeas, praesertim cum rerum scriptor vera cognoscere non potest, nisi sibi explicat relationes contrarias tunc de scholis factas. Chartae autem Nationis aut Departimentorum infirma nobis praebent indicia, ita ut, si animo illa complecti velis, Communium fasciculi sint evolvendi. In multis quidem Communibus nihil superest; in aliis vero servata sunt documenta, quae si cum legibus de scholis factis temporibus Rerum Novarum conferas, res obscuras illas multo apertiores sint factura.

Inter rerum scriptores vel qui plurima ac certissima de Conventionis gestis cognoverunt, affirmaverunt a MDCCLXXXIX° ad MDCCLXXXXIII^{um} annum in Gallia fere nullo modo institutos fuisse pueros, cum nec jam quidquam superesset rerum pristinarum nec novarum constitueretur [1], ut ait Lakanal. Quanquam haec ad concertationem sint scripta, fortasse tamen adducaris ut credas vera dixisse illum, quia, cum omnia in Communibus jam ante quartum Augusti diem essent immutata, et post memorandum illum

1. Quae extremo Julii mense anni MDCCLXXXIX sunt commutata, plerumque ut a vectigalibus liberarentur rustici, quae antea Clericis vel Nobilibus solvere debebant. Quae, quarto, sexto, septimo, octavo, et undecimo Augusti die decreta, et a Ludovico XVI°, XXI° Septembris die confirmata, et a Concilio Legislativo et a Conventione perfecta, effecerunt ut haec legitima essent, quod tunc sublata sunt Nobilium beneficia, decumae, etc.; postea secundo Novembris die anno MDCCLXXXIX fortunis Clericorum in publicum addictis inopes factae sunt eae scholae quae a Clericis sustinebantur.

diem multa gravissimaque decreta essent, tunc defecerunt opes, quibus antea multae scholae sustentabantur; adde quod, presbyteris primum, paulo post omnibus, quicumque in rebus publicis, versabantur ad jusjurandum coactis [1], et abolitis Clericorum congregationibus [2], a scholis amoti sunt vicarii, qui in multis pagis pueros erudiebant, et magistri clerici, vel inter laicos qui, antea a presbytero nominati, atque illi obnoxii, jusjurandum et ipsi abnuerunt [3].

Nihilominus notandum est raras fuisse scholas Clericorum sumptibus sustentatas, atque congregationes illas fere tantum in urbibus vel frequentibus pagis floruisse, ubi haud difficile illis laici magistri succedere poterant. Quae autem ruri incolebant Congregationes, cum ipsae magistris suis mercedem solverent; quae esset causa cur a consuetudinibus abstraherentur? Facillime enim reperiri poterant, qui tam docti essent quam magistri illi, quos memoraverunt Codices.

Hoc tantum discrimen interponere possis, quod

1. xxvii° Novembris die, xxii° Martii, xxvii° Aprili die MDCCLXXXXI.

2. xiii° Februarii die decretum erat, ut illis legibus eos solvi aequum esset qui « publicam educationem curarent * », at, xviii° Aprilis die, quanquam declaratum erat « illos de Republica bene meritos esse ** » legi communi sunt subjecti qua vetabatur ne superesset ulla Congregatio.

3. Bertrand, *l'Instruction primaire dans le département du Nord pendant la Révolution, d'après les archives de Douai et de Lille*, p. 962.

* « Maisons chargées de l'éducation publique. »

** « Qu'elles avaient bien mérité de la patrie. »

tunc, quivis magister nominari poterat, vel non probante presbytero aut Domino aut Delegato.

Itaque, propter ea quae primis Rerum Novarum temporibus evenerunt, illa quibus exutae erant decreto anni MDCCLXXXVII omnino recuperaverunt, vel plura sibi paraverunt Congregationes, cum lege de municipiis edicta, xxii° Decembris die, anno MDCCLXXXIX, scholas curandas accepissent; quamobrem, ipsae Congregationes magistros elegerunt, quibus solverunt, mercedem vel immo aut ab officio amoverunt, aut denuo detinuerunt.

Quae, ut eadem saepius dicamus, haud satis in medium sunt prolata; atque quo tutius confirmentur, oportet ut versemus documenta in parvis Communibus servata. In quibus modo perscriptae sunt magistrorum cooptationes, et electorum nomina [1], etc., ita ut plane appareat lege in illis Communibus magistros et collocatos esse, et pretium accepisse, et pueros edocuisse; modo cum magister nominabatur, in illis documentis notabatur eum in alio Communi, quod documenta nulla habebat, eodem munere esse functum [2].

Igitur cum res scholarum interquiescerent quia abolita erat episcoporum potestas, nec jam pollebat Departimentorum vel Civitatis auctoritas ultro Muni-

1. Vide Appendicem, 129 et seq.
2. *Id.* V.

cipia magistros quaesiverunt, illis modo has, modo illas praescriptiones imposuerunt, illos sunt speculati, neque ulli gesta approbaverunt.

Quae ut ita facerent, Municipia adducebantur, quod sibi et utilia agebant, et edicto anni MDCLXXXXV multa assumpserant, quia denique et quae primis Novarum Rerum temporibus evenerant illis jura maxima dedisse videbantur. Ut res declarat, primo illo patriae amantium impetu, cum omnes quasi fratres esse viderentur, et in multis Communibus Majores, vel cuncti Magistratus, omnium suffragiis eligerentur haec haud male evenerunt. Etenim nondum in Communibus de rebus publicis contendebatur et patres familiarum de scholis haud contraria petebant, iis quae cives de Municipio aut de Civitate constitui volebant. Praeterea, nihil ad nos est traditum, unde affirmari possit tunc quemquam de his rebus aliquid expostulasse.

Denique, Communia quasi legitime magistros et nominare et custodire perseveraverunt, quia, primo statim concilio, id est XXI° Septembris die, anno MDCCLXXXXII, a Conventione decretum est ut quaecumque leges tunc nondum abrogatae essent, usque pollerent, quicunque adhuc tunc potestatem quamdam exercerent in tempus exercere pergerent.

§ 2. — De magistris institutis atque revocatis a « Jacobinianis Societatibus[1] ».

Interea autem Conventio sibi ipsi assumpsit totam potestatem. Quin etiam qui « Coetus Salutis publicae[2] » nominatus est severius ac qui antea inter reges fuerant superbissimi, imperium exercuit : de publica Institutione creatum est peculiare Concilium quo primum institutum esse videtur quasi « Ministerium Institutionis publicae[3] ». Quo in Concilio sedebant tres viri, quorum unus praeerat; qui, ut aequum est, « inspiciendas scholas, custodiendamque disciplinae rationem[4] » habuerunt. A Conventione, auctore « Coetu Salutis Publicae » illi Concilio sunt adscripti Garat, Clement de Ris et Ginguené, qui a primo Aprilis die, anno MDCCLXXXIV, sederunt, et eos dimisit « Directorium[5] ». Sed, cum tunc Galliae graviora imminerent, apparet ab iis perpauca effecta esse de ipsa Institutione publica, quia tum re vera imperio utebantur Jacobini, qui ad ipsas Societates Jacobinianis obnoxias jussa mandabant; satis autem ducunt praescripta in universum mittere, ut quae legi

1. Clubs des Jacobins.
2. Comité de Salut public.
3. Ministère de l'Instruction publique.
4. « La surveillance des écoles et le mode d'enseignement. »
5. Gouvernement du Directoire.

XXVII° Brumarii die, anno VII, edictae, adjungebantur : « Magnifico quodam modo detestati sunt Galli superstitiones illas, quibus per tot saecula in errores raptae sunt omnes gentes. Igitur, procul a scholis in quibus Gallica juventus eruditur, abjiciantur qui, vere scientiae servi, pro ratione auctoritatem cujusdam habent atque autem advocentur qui, vere philosophi nulli, nisi rationi inserviunt [1]. »

Praeterea legati qui a Coetu in Departimenta mittebantur, ad libidinem magistratus, aut eos qui in Conciliis Communium vel Districtorum sedebant ab officio amovere poterant. Postquam autem in « Procuratorum Syndicorum [2] » locum a summa potentia nominati sunt quarto Decembris die anno MDCCLXXXXIII « Publici Curatores [3] », qui omnia ad illos, qui supremam tenebant potentiam, referrent, affirmari potest a Conventione praeter leges de Institutione publica proprie factas, refectum esse quasi novum ordinem magistratuum ex publicis Curatoribus Communium ac Districtorum, et legatis et iis, qui in Concilio sedebant, compositum. Ita, prius a

1. « La France a rompu solennellement avec les opinions qui ont trompé tous les siècles et tous les peuples. On écartera donc des écoles de la jeunesse française ces esclaves de l'érudition pour lesquels une autorité est une raison; et on appellera avec instance ces élèves de la philosophie de nos jours pour qui la raison est la seule autorité. »

2. Procureurs-syndics.

3. Agents nationaux.

Communibus re vera jus magistrorum nominandorum Conventio sustulerat, quam lege lata sustulit. Non vero quod putabat scholarum res ita melius processuras esse, aut a Communibus magistros impares esse electos, sed quod tunc eadem de omnibus officiis publicis erant decreta, cum sibi tot tantaque urgerent extra aut intra Galliae fines.

§ 3. — Qui res departimentorum curant, rerum scholasticarum ignari, iniquos sese praebent.

Probata lege tertio Brumarii die, anno IV, dimissaque Conventione, abolitum est et Concilium Institutioni Publicae, resque scholarum denuo ex « Ministerio Interiore [1] » pependerunt. Qui illi Ministerio praefuerunt, Benezech, Franciscus de Neufchâteau, Letourneux, Quinotte plerumque diligentes iidemque ac modesti viri, praecipue ad res scholarum intenderunt animum; etenim res illas penitus scrutati sunt, et quae « Manualia » ad pueros docendos anteponenda essent, inquisiverunt, eaque in scholas miserunt. Quamobrem, post multos annos, tum primum de viis ac rationibus disciplinae, atque de scholis constituendis disputabatur, nec iis disputationibus immixtae sunt de civilibus rebus contentiones. Quin etiam, ultimis

1. Ministère de l'Intérieur.

Directorii temporibus, primum tentatum est ut ex iis, qui Instituto [1] adscribebantur componeretur de Publica Institutione Summum Concilium [2].

At nemo ad Directorium quid in Provinciis eveniret, referebat. Quare, ut Conventio antea, proprios misit in tempus delegatos, quos tamen minore potentia, instruxit, quia tunc jam aliud res poscebant. Neque enim jussi sunt delegati, ut in omnes, quicumque in suspicionem incidissent, saevirent. Sed cum quasi personam gererent summorum magistratuum, in iis temporibus quibus mediocri dignitate ornati apparerent qui res Departimentorum administrabant, tanta fruebantur auctoritate ut illos cogerent ad omnia facienda quae sibi utilia fore videbantur. Sic enim scholas inspiciebant, semel atque iterum, quid in vicis deesset requirebant, consilia dabant magistris atque iis qui scholas ministrare debebant Departimentorum magistratibus, denique relationes mittebant ad ministros. Quae relationes sunt perutiles, ut quae nobis liquide ostendant quae fuerit in Gallia ultimis Directorii temporibus, « primaria Institutio ».

Ita rerum usu atque observatione adducebantur ut eos, qui scholis et pueris docendis praeerant, alio in ordinem constituerentur modo ac lege tertio Brumarii

1. L'Institut.
2. Conseil supérieur de l'Instruction publique.

die, anno IV, lata, jussum erat. Etenim cum lege illa tota potestate instructi essent, qui res Departimentorum ministrabant nunc contra iis, qui vere in rebus scholaribus versabantur, scholae regendae committebantur. Profecto autem delegati officium continuaturi erant, cum jam antea semel atque iterum munus eorum in alterum annum erat prorogatum; quin immo in eo erant ut ad legem ipsam adscriberetur eos legitime munere functuros esse, praesertim cum in « Quingentorum Concilio » [1], multi peterent ut propriis magistratibus committerentur scholae inspiciendae. Eodem modo, in « Interiore Ministerio [2] » ex iis, qui Institutionem publicam administrabant, mox secreti essent qui praecipue res scholarum ipsas, amotis civilibus studiis, curarent : nam, ex quattuor Ministris, tres libenter scholarum rebus studuerunt, eo magis quod « Coetu dicendae sententiae [3] », ab iis creato, eorum studia illa fovebantur. Ergo iterum probabantur quae de secernendis Civitatis officiis Condorcet censuerat, praeterea, si respicias quae senserint ii, qui Rerum Novarum fuerunt amantissimi, intelligas licet brevi aliquid in legibus de rebus illis immutatum iri.

At, Departimenti Concilia sinebant sese a potestate

1. Cinq-Cents.
2. Ministère de l'Intérieur.
3. Conseil Consultatif.

spoliari, quam sibi lex ipsa tribuerat, quod intelligebant se potestate illa uti omnino nequire. Etenim ejusmodi Concilium civium suffragiis inserviebat qua de causa necessario ratum habebat quidquid a Municipiis, vel ab iis, qui in ceterorum suffragiis aliquid valere poterant (neque semper ipsi erant patres familiarum) proponebatur; ideo plerumque res scholarum sine studio respicere non poterat. Cur rationem habuisset optimae disciplinae, cum et ipsum non id esset, quod recte quid de pueris educandis scirent magistri intelligeret, neque sibi utile quid accipere posset, si scholas in Communi quodam proficeret?

Ex documentis constat Departimentorum Concilia cum disciplinae incuriosa, tum scholis constituendis imparia, plerumque fuisse. In quibusdam enim Departimentis, Concilium nihil per se ipsum effecit, nisi pure comprobavit magistros a Communibus electos; in aliis autem, postquam incitatum est a Directorii delegatis vel epistolis Ministri, satis habuit si magnificas orationes edit : « Oportet, cives, Publica Institutio cum vigente civitatis statu congruat, quod haec poscunt et ratio et pax civilis, et civium ipsiusque civitatis felicitas... [1]. » Tunc explicatur apud quos librarios emi debeant « Manualia » publice prae-

1. « L'instruction publique, citoyens, doit être d'accord avec le gouvernement établi : la raison, l'ordre, le bonheur individuel et commun l'exigent impérieusement. »

scripta, ut illam Puerorum Institutionem [1] « in primis commendatam [2] » quam scripsit ipse Minister, Franciscus de Neufchâteau; tunc quoque, rogatur ut Communia relationes ad Concilium mittant, « ut ad ipsum Publicae Institutionis Ministrum quomodo nunc res scholae gerant, declarare possimus [3] »; sic denique credunt sese officio omnino defunctos esse. « Vestro patriae atque civitatis amore freti persuasum habemus omnia illa perfectum iri. Ne quis tamen omittat, ignorantiam esse quasi fundamentum ac columen tyrannidis, atque ante omnia magistratui vere Rei publicae amanti esse providendum ut quam felicissime floreat puerorum Eruditio [4]. »

§ 4. — De civibus ad scholas administrandas selectis [5].

Denique « Civibus ad scholas administrandas selectis » tantum non minimi momenti fuerunt ad pueros melius edocendos, Departimentorum Concilia. Atta-

1. *Institution des enfants*, par François de Neufchâteau.
2. « Recommandé spécialement. »
3. « Afin que nous puissions rendre compte au ministre de l'intérieur de l'état de l'enseignement. »
4. « Nous nous reposons, citoyens, sur l'ardeur de votre zèle civique pour l'exécution des dispositions de la présente. Mais ne perdez jamais de vue que l'ignorance est le fondement et le soutien de toute espèce de tyrannie et qu'un des principaux devoirs du magistrat républicain est la vigilance la plus active sur les moyens de faire prospérer l'instruction. » *Documenta Departimenti quod dictum est Sarthe.* A. Bellée, *Recherches sur l'Instruction publique dans la Sarthe.*
5. Jurys d'Instruction.

men, illa tres eligebant cives, magis quidem sibi gratos, quam vere doctos. Etenim legenti relationes ab iis civibus factas apparet illos saepe non ita Gallice esse locutos ut qui de magistrorum sollertia debërent judicare. Ceterum sollertiam ipsam magistrorum minime spectabant, aliisque de causis eos eligebant. Quid enim si magistro cuidam facilius dedissent testimonium, cum, singulis fere magistris interrogatis repulsorum sibi periculosum odium excitare possent, neque quidquam admisso discrimen adirent, quia illis in singulum annum nominatis post annum nulla ratio reddenda erat?

Praeterea « Cives ad scholas administrandas selecti » facile intellexerunt a se inferiores partes susceptas esse, quas primum maxima egerunt modestia. Nam litteras, Conventionis magis aut Departimenti, quam suo ipsorum nomine, scribunt ac, quo longius a periculis abeant, prudenter utuntur locis communibus.

Statim ut in publicum propositum est decretum XXVII° Brumarii die, electi sunt; etenim jam Nivoso mense magistratum cepisse eos videmus in Arari-Superiore [1]. Haud difficile quidem magistros nominare vel custodire poterant ; at quantum illis operosum erat magistros eos de sollertia interrogare! Nam ipsi

1. Département de la Haute-Saône.

judices, quia novum aggrediebantur opus, neque ad interrogationes illas satis sese paratos esse sentiebant, non ii erant qui propria scitarentur, et frustra tentabant ut grandi illo verborum sonitu, quo tunc omnes adeo oblectabantur, cura et negotio se solverent. Quare non decreverunt ut omnes simul candidati ante omnium oculos anno illo una eademque lege interrogarentur, sed diem indixerunt quo ipsi congregarentur, petitoresque cohortati sunt ut illo die ad scientiam patriaeque amorem exhibendum advenirent. Igitur, tanquam fores aperiebantur ambitiosis ac potentium clientibus, ita ut persaepe candidati ne interrogati quidem testimonio donarentur. Praeterea quanquam valde requirebant magistros, ac quasi flebiliter a Communibus petebant candidatos, ii perrari fuerunt. Quin etiam plurimi qui jam pueros tunc edocebant ne tentarunt quidem ut testimonium illud acquirerent quod in morem non venit, quia parum magno erat signo.

Attamen per se ipsum adeo prudens erat, civibus selectis scholas administrandas committi, ut ii, quamvis primum susceptam personam haud recto gessissent, per totum Directorium officio usque sint functi; brevique animi inclinaverunt ut ii inter doctos viros, vel inter juventutis professores eligerentur. Quin in eo erant, qui res Civitatis gubernabant, ut Civibus

illis diligentius electis[1] majorem tribuerent potestatem; sic enim xvii° Pluviosi die, Directorii consulto « Civis ad scholas administrandas selectus » comes datur Municipii magistratibus, quotiescumque hi privatas scholas et gymnasia inspiciunt. Denique, utilissimos sese praebere potuissent « Cives ad scholas administrandas selecti » adeo ut necessario iis utendum esset, cum perfecto esset nova Institutionis Publicae ratio; at oportuisset, ii, quibus interrogandi erant magistri ab iis secernerentur quibus illi nominandi erant aut custodiendi[2].

1. Vide *supra*, p. 71, 80.
2. Vide Appendicem, p. 134.

CAPUT II

QUID DENIQUE TANTO LABORE SIT EFFECTUM

§ 1. — De ministrorum, atque eorum, qui concilio legislativo adscribebantur inquisitionibus.

Qui primus summam obtinuit Institutionis dignitatem Directorii temporibus, Benezech, sensit imoque ausus est dicere « ubique legitimos magistros quasi in solitudine vivere, ut qui nullos pueros docerent [1] » ; « parentes magistris a sese selectis liberos committere malle, quam magistris illis, qui secundum civitatis atque Reipublicae rationem electi essent [2]. » Quod fieri, quia parum valerent, qui pueros edocerent. Etenim magistri, animo fracti quod papyri pecuniae loco effusi [3] fides quotidie refellebatur, neque

1. « De toutes parts les instituteurs établis par la loi voyaient leurs classes désertes. »
2. « Les parents aimaient mieux confier leurs enfants à des maîtres de leur choix qu'à des instituteurs élus suivant les formes constitutionnelles et républicaines. »
3. Assignats.

ipsi mercedem certo tempore accipiebant, saepius dummodo animi robore essent praediti ingratum munus relinquebant; quin imo juvenes, quibus inerat mens acrior hoc periculum ne adibant quidem. Quae temporibus, vel ineptis legibus fortasse assignanda sunt; sed addit Benezech eos qui Departimentis praeessent neglegentiores vel nimis malevolos sese praestitisse, cum, quia spreta « Primaria Institutione » sine pudore ullo leges neglexissent, magistrosque uno legibus confirmato commodo, id est domicilio frustrati sint. « Nequicquam, ut ait ille, a « Ministerio Interiore [1] » Aerarii Ministerium [2] monitum, per litteras mandavit Departimentorum Conciliis ne in publicum addicerentur presbyterorum Curiae, in quibus locis scholas creare volebant. Nihilominus plerasque ejusmodi domos vendiderunt... Praeterea avidiores vili pretio eas conduxerunt a quibus magistros inclementer expulerunt [3]. »

Quin adeo parvi primariam eruditionem ducebant Departimentorum Concilia, ut ab octo et triginta

1. « C'est en vain qu'averti par le ministre de l'intérieur, celui des finances a adressé une circulaire aux administrations des départements pour les engager à excepter de la vente des biens nationaux les presbytères dans les lieux où ils se proposaient d'établir des écoles primaires... La plupart de ces maisons ont néanmoins été vendues,... des gens avides ont soumissionné à très bas prix et ont chassé les instituteurs avec dureté. »

2. Ministère des finances.

3. Benezech, *Relatio ex magistratu*, mense Messidore, anno VII, facta.

Departimentis summae administrationi nulla approbata est relatio, seu quia nullam re vera composuerunt seu quia relationem secretam manere malebant.

Minister vero Letourneux petiit ab iis, qui Departimenta regebant, ut se in scholis curandis diligentiores praeberent. Declarat enim « scholas nostras infestis animis atque malignis rumoribus objici, necessariisque opibus egere, quibus vel sustineri, vel recreari possent, palam ab iis detrahi ac derideri a quibus ante omnes defendi deberent[1] ». At Minister nihil facere poterat, nisi ita Concilia hortari, aut per ambages malos istos cives vituperare quia lege in iis minime valebat; vel, si plura efficere voluisset, illius vim infirmavisset tanta praescriptorum legumque moles illa quam Sieyès exstruxerat. Quamobrem ut antea Departimenta aut Communibus illis obtemperaverunt, quae quid vellent affirmare atque arrogare audebant — modo officiis Departimentorum memorandis, modo magistris sibi eligendis, — aut magistros elegerunt « vita infames et plane rudes[2] » quia « verbo

1. « Nos écoles sont en butte à la malveillance et à la calomnie, dénuées des premiers secours qui pourraient les soutenir (logement en nature des instituteurs) et les alimenter, attaquées même ouvertement et ridiculisées par ceux qui devraient en être les premiers défenseurs. » *Litterae* XVII° *Ventosi die, anno VI°, ad Departimenta missae.*

2. « Sans mœurs, sans instruction. »

boni cives [1] » essent, re vera quod illos commendaverant viri gratia pollentes.

In Concilio Quingentorum Barailon legatus, XXVII° Octobris die, anno MDCCLXXXXVII, affirmabat quinque ferme scholarum millia esse in Gallia, et superesse omnes, quae antea fuerant institutae, ac pro opinione satis sese utiles praebere, quanquam parum assidui essent pueri, aut ruri propter rusticos labores, aut in urbibus, quia minorem viri mercedem acciperent. Sed plurimi non adeo in meliorem partem omnia interpretabantur; sic enim Bonnaire queritur quod boni desint magistri; Bailleul affirmat timendum esse, ne plures eos callidiores re ipsa ducant; Heurtault Lamerville cum illo consentit; Andrieux vitiorum illorum hanc causam esse declarat, quod magistri ab iis nominentur qui in rebus publicis occupantur, cum « Coetibus Primariis [2] » sint, ut antea nominandi; at ipse Bonnaire Communibus minime confidit et petit ut a Civitate ipsa haec omnia regantur. Denique inter omnes et Ministros et Delegatos, qui ultimis Rerum Novarum temporibus publica negotia curabant, constabat parum proficere quae in lege tertio Brumarii die, anno IV lata, articuli III[i] titulo I° praescripta essent; quare in

1. « Leur prétendu civisme. »
2. Assemblées primaires.

eo erant ut iis qui res publicas curabant, minorem in scholas potentiam tribuerent; sed, facinore audaci [1], quod XVIII° Brumarii die effectum est, iisdem major contra potentia data est, alia quidem sub specie.

§ 2. — De Conciliorum Generalium [2] atque Praefectorum relationibus, anno II conscriptis.

Qui novam civitatis rationem instituere volebant, antequam leges et ipsi promulgarent, de pueris edocendis cognoverunt; unde fit ut nobis traditae sint relationes scire cupienti utilissimae, quae tunc esset « primaria disciplina ». Fere una voce Concilia Generalia ac Praefecti declaraverunt pessime es sese habere. Ubique querentur, quod aut desint scholae aut rarius pueri in scholis sint, aut magistri ignaros, imperitos, vel saepe flagitiosos sese ostentent. At qui anno X Praefecti erant, flagitiosos plerumque vocabant quos nimis Reipublicae amantes esse arbitrabantur; quare, cum summas administratione parum fuerit curatum, ut diligentius magistri eligerentur, eo magis adducimur ut credamus ad id praesertim severe magistratus de scholarum rebus judicavisse ut iis qui summo munere fruebantur grati essent, magisquam quod studio disciplinae accendebantur. Nam tunc

1. Coup d'État.
2. Conseils généraux.

disciplicebant magistri quia Rempublicam nimis diligebant; qua de causa in scholis multa esse commutanda.

At non contigit ut superesset documentum ullum in Chartis Communium, aut relatio ulla quibus integrum judicium de re facere possimus; sed constat Praefectos subpraefectis [1] credidisse, quorum plurimi cum scholarium rerum plane essent ignari justos minus quam iniquos sese praestiterunt. Sic urbis, cui nomen est Mamers Subpraefectus ad Praefectum mandat « in Praefectura illa ubi florerent multa et celeberrima Communia, et viverent centum et quadraginta millia hominum [2] nullam superesse scholam. Etenim nondum recreata esse quae Novarum Rerum temporibus periisent ita ut juventus derelicta omni morum vel scientiae disciplina careret. » Quattuor autem ante annis cum vix Gallia a civili bello levaretur et adhuc omnes sustineret belli externi, in Communi Mamers Directorii delegati notabant quattuor magistros, centum et viginti quattuor pueros, tres magistras, centum et viginti sex puellas edo-

1. Sous-Préfets.

2. « Cet arrondissement, dans l'étendue duquel on compte plusieurs communes importantes et une population d'environ quatre cent mille âmes (?), ne possède plus aucun établissement d'instruction. Les pertes occasionnées par la Révolution dans cette partie intéressante n'ont point été réparées, et la jeunesse abandonnée n'y trouve aucune source de morale et d'instruction. » *Civis Contencin ad Praefectum* XII° *Vendemiarii die anno.* XII°.

cere, gymnasium etiam « minime neglectum » post sex tantum menses triginti discipulos numenare, ubi docebantur gallicam et latinam grammaticam, partem philosophiae moralis, geographiam, physicam, etc. Neque ipsi magistri spernendi erant, cum magistrorum unus, « civis Montbrûlé abhinc viginti annis doctos effecisset discipulos [1] » atque magistrarum quaedam nomine Gadois « quae haud ignaras informaret puellas et obtinuisset ut litteras numerosque doceret puellam undecim annos natam quae decimum annum surderet et muta esset [2] ».

Eodem modo urbis cui nomen est la Flèche, subpraefectus scribit « in praefectura sua Publicam Eruditionem nihil minus peccantibus tradi, nisi quod inepti sint [3] ». Anno autem VI sunt ibi multae eaedemque publicae scholae et « magnum gymnasium a Societate magistrorum administratum, qui pueris victum domiciliumque suppeditant; qui etiam discipulos alios gratuito docent gallicam, latinam peregrinasque linguas [4] ». Quae causa est cur anno X Sub-

1. « Le citoyen Montbrûlé a toujours depuis vingt ans fourni d'excellents sujets. »

2. « La citoyenne Gadois fait de bonnes élèves,... elle est parvenue à apprendre à lire et à calculer à une jeune fille de onze ans sourde et muette depuis dix ans. »

3. « L'instruction publique est généralement abandonnée dans mon arrondissement à des hommes dont le moindre défaut est l'ineptie. »

4. « Un grand collège occupé par une société d'instituteurs qui

praefecti nullam faciant mentionem de tantis scholis? quae si adhuc anno X supersunt num illi sincere agunt? Sin perierunt, num Rerum Novarum vitio, cum jam nonnullis ante annis tributi quodam levamento fruantur cives?

§ 3. — Eorum qui a Directorio legati erant relationes; quid in Conciliis Communium sit deliberatum.

Certiora requiras si relationes anno VI et VII a legatis factas inspexeris; in quibus notatur scholas post annum illum paulo melius res gessisse, unde credas licet lege tertio Frimarii die, anno IV, si modo bene consultum esset, denique Gallia donatum iri haud spernenda Educationis ratione; at simul ostendunt tunc parum multas fuisse scholas — ternae vel quaternae in denis Communibus, — neque feliciter electos esse magistros, quorum multi, ne interrogati quidem a « Civibus selectis » quasi plane indocti essent. Unde minore studio parentes istis magistris pueros committere; etenim in ipsis Departimentorum capitibus, nondum decima hora ferme quotidie discipulos edoceri, quia magister per urbem « suis ipsius negotiis vacet [1] », in tota dioecesi quadam [2] « scholas

prennent des élèves en pension : ils en ont déjà plus de cinquante; ils admettent en outre des externes gratis; ils enseignent le français, le latin, les langues étrangères. » A. Bellée, *op. cit.*, p. 268.

1. « Le maître est en ville à faire des commissions. »
2. « Bouloire. »

nimis neglegi, deficientibus discipulis, quod magistri omnino sint illiterati [1] »; aut in multis Communibus « prisci rerum status laudatores sese praebeant [2] » denique quia « privati passim ne nominati quidem publice, numerorum rationes litterasque pueros doceant [3] ».

Cum in ipso Departimenti Capite magister adeo genio indulgeret, cum dimidia pars magistrorum a « Civibus selectis » vocati ne irent quidem ad contionem, posteaque, ut prius pueros edocerent, necesse est iis adjutores essent qui apud cives magna florebant gratia, ita ut inspectores minus reformidarent magistri.

Si simplicia pacta a Communibus et magistris facta primis Rerum Novarum temporibus respicias, confitendum est tunc magistros non doctiores quidem sed probiores fuisse. In Araris Superioris Communi Sancto-Germano, primo Thermidoris die, anno II, magister nominatus est Petrus-Ludovicus Midon, quod, « omnibus approbantibus officio esset defunctus, atque scientia, diligentia et industria eniteret [4] ».

1. « Les écoles sont mal tenues faute de sujets, les maîtres ne sachant ni lire ni écrire. »
2. « Prôneurs de l'ancien régime. »
3. « Les particuliers qui enseignent à lire et à écrire sans nomination régulière se trouvent un peu partout. »
4. « Il avait rempli ses fonctions à la satisfaction du public, il s'était distingué par ses connaissances, son zèle et son exactitude. »

Certis vero condicionibus adstringebatur magister ille, « qui pueros ab matutinarum precum hora usque ad semihoram post decimam, a meridie etiam ad tertiam horam custodire debebat; si quidem minus duodecim pueros habeat, duas horas, mane, duas post meridiem eos custodiet [1] »; magistrae autem « mane ac post meridiem per totum annum id est aestate atque hieme, puellas custodient; quin imo ne domi in qua pueros edocebunt, servent colum, aut operis quidquam elaborent, quamdiu puellae aderunt, ut et illae dictata diligenter ediscant, et ipsae illas necessaria docere possint [2] ».

Cui id non apparet scrupulosos illos homines ex sua sententia a magistro diligenter omnia ministrari voluisse. Sed et ipsi prodige laudes, vel mercedis incrementa magistro largiebantur dummodo illis satisfecisset.

Summatim in confesso est, a MDCCLXXXIX° ad MDCCLXXXXIII^um annum, cum sine ulla lege, non

1. « Tenir les enfants depuis l'angélus du matin jusqu'à dix heures et demie et depuis midi jusqu'à trois heures; s'il en a moins de douze, il ne les tiendra que deux heures le matin et autant le soir. »

2. « Tenir la classe le matin et l'après-midi pendant la durée de l'année, soit en été et en hiver; elle sera tenue d'ôter hors du poil de la maison d'école où elle réside, tous les meubles servant à filer la laine et de ne travailler en aucune manière pendant que les enfants seront assemblés, elle ne tricotera ni ne filera aucunement, afin que les enfants puissent s'attacher à apprendre leurs leçons et afin qu'elle puisse leur donner les enseignements nécessaires. » Plancher-Bas (H^te-Saône).

vetaretur ne saepissime a Communibus nominarentur magistri, de pueris erudiendis satis rem bene cessisse post annum MDCCLXXXXIV, cum a Departimentis crearentur, patrum commoda neglecta esse, quum pluris civilis gratiae ratio habebatur, ita ut in dies minus callidis magistris uti possent Communia[1].

Patres vero familiarum et Municipia coacta sunt, obsequenter impositos magistros admittere quia reclamare nullomodo poterant; etenim Civitatis disciplina anno III° constituta, illorum suffragia parvi aestimabantur, neque haec jam sui juris erant, cum Dioecesis Concilio obnoxia fierent; praeterea, scimus a Conventione jam in Procuratorum-syndicorum locum institutos esse « publicos curatores[2] » qui omnino e Civitatis potentia penderent.

Quid mirum si Communia has suspiciones aegerrime tulerunt? Quorum alia, quae Eruditionis erant amantia, frustra leges ac sibi promissa evocaverunt[3]; alia denique suas scholas adeo sunt aspernata, ut magistro munus minimam petenti mercedem tribuerent[4], neve illi domicilium suppeditarent, quod lege suppeditare debuissent! Ita scholarum studium a sese

1. Non est quod consideremus illa « Terroris » tempora, quibus omnia officia publica insolitis legibus sint subjecta.
2. Agents nationaux.
3. C. Duval, *L'Administration municipale de la commune et du canton de Viry*, Pars secunda, p. 52.
4. Vide Appendicem, p. 141.

detraxerant rustici, quia, eorum obliti, quae prudentissime monuerat Condorcet, eadem Novarum Rerum fautores, atque antea Ludovicus XIV peccaverant, cum tentaverunt ut Eruditione uterentur ad imponendas civiles aut religiosas opiniones. Nam si magister protestantes vi Romanum Catechismum non docebat, pueros tamen Catechismo « Sans-Culotte » aut libro illo qui inscriptus est « Almanach du Père Gérard » imbuebat; si vi eos die dominica ad Missam non ducebat, at vi trahebat eos ad Decades, aut ad ferias Deae Rationis; si presbytero qui relligionem magis quam scientiam curabat, non erat obnoxius, subjiciebatur Societati Jacobinianae quae pro nihilo habebat illius sollertiam, dummodo « bona vitae formula[1] » uteretur atque « vere Rei publicae amans[2] » esset.

At non nobis requirendum est num gravissimas propter tempestates tunc Galliam urgentes non necesse esset ab una summaque potestate omnia custodirentur, ac num a Societatibus illis Patria omni periculo sit liberata.

Est tamen confitendum illarum culpa scholam magistrumque a Republica creatum rusticis plane ingratum fuisse. Nam illis placere solet unumquemque

1. « Dans les bons principes. »
2. « D'un civisme pur. »

artem suam exercere diligenter ac semper curare. Ut antea questi erant, quod clericorum regisque commodis nimium consuluissent magistri, ita nunc querebantur; quod « Montanorum » commodis ac studiis iidem consulerent; quare, cum tunc cum publicis scholis privatae contenderent, patres, ut reclamarent, in privatas scholas pueros miserunt.

Etenim, post nonum Thermidoris diem, qui inter clericos jurejurando sese teneri noluerant aut qui ante Res Novas magistri fuerant fere ubique pueros ut prius edocuerunt. Cum antea rusticis multa benefecissent atque vexationibus quasi illustrarentur, brevi plures quam publici magistri discipulos habuerunt; praeterea quia severe a magistratibus custodiebantur caute modestos sese praebuerunt eoque magis sunt probati; alii autem, illusi quod antea jacobini fuerant, ac deae Rationis feriis se insigniores facerant, ab omnibus relicti, pudore quodam confundebantur.

Quibus autem virtutibus commendabiles erant eorum plurimi — scimus enim bonis magistris non defuisse discipulos — nisi quod vere « Sans-Culottes » erant? Praeterea, unde requiri potuissent juvenes ad officium magistrorum suscipiendum, cum delectu uno triginta duo viri a Communi mille hominum eriperentur, et paulo post alii in arma cogerentur? Tunc enim solis belli rebus ardebant cuncti; omnes patriam

servare volebant vel eadem, quibus Hoche et Marceau ad tantam pervenerant gloriam, sibi ipsis sperabant. Adde quod pecunia tota aut ad crebra tributa exigebatur, aut eorum, quae « assignata[1] » sunt vocata imminutum pretium erat, ita ut non solum Communia, sed etiam ipsi privati magistro nullam possent solvere mercedem; itaque ille saepius nihil nisi civilem gratiam ambitu appetebat, aut animo infirmus nihil facere poterat.

